B I B L I O T H E C A

S C R I P T O R V M G R A E C O R V M E T R O M A N O R V M

T E V B N E R I A N A

D. IVNII IVVENALIS

SATVRAE SEDECIM

EDIDIT

IACOBVS WILLIS



STVTGARDIAE ET LIPSIAE

IN AEDIBVS B.G. TEVBNERI MCMXCVII

Gedruckt mit Unterstützung der Förderungs- und Beihilfefonds Wissenschaft der VG WORT GmbH, Goethestraße 49, 80336 München

Die Deutsche Bibliothek — CIP-Einheitsaufnahme

Iuvenalis, Decimus Iunius:
[Saturae sedecim]
D. Iunii Iuvenalis Saturae sedecim / ed. Iacobus Willis. —
Stutgardiae ; Lipsiae : Teubner, 1997
(Bibliotheca scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana)
ISBN 3-8154-1471-7
NE: Willis, James A. [Hrsg.]

Printed in Germany
Satz: DW & ID Repro- und Satzzentrum GmbH
Druck: Druckhaus Köthen GmbH
Buchbinderei: Verlagsbuchbinderei D. Mikolai, Berlin

D. M. Guentheri Jachmann

Die wichtigste Frage
für die moderne Behandlung eines Textes
ist immer die,
wie er im Altertume behandelt worden ist.

Alfred Gercke

PRAEFATIO

Qui in re philosophica vel litteraria eiusmodi opinionem profitetur, quam eruditorum vulgus iam libenter amplectitur, ei non multis verbis opus est, ut legentium assensum laudemque consequatur; contra qui opinionem novam vel paucis ante probatam asserere conabitur, vix plurimis accuratissimisque argumentis efficiet, non dico ut legentibus placeat, sed ut perversitatis vel insaniae crimen effugiat. Sequitur ut, dum ostendere conabor multos apud Iuvenalem reperiri versus insiticios, contra legentium incredulitatem argumentis usque ad fastidium protractis utendum erit, quod vehementer doleo. Voluissem certe dulcia utilibus miscere, si per rei naturam liceret, sed ferendum est, ut poeta admonet, non culpandum, quod mutari non potest. Incipiam igitur a rebus apparentibus, quas Graeci phaenomena dicunt, ex quibus colligendum est in memoria verborum Iuvenaliana inveniri versus aliena manu compositos.

Primum quidem, id quod nemini non notum opinor, saturarum Iuvenalianarum bifidam habemus traditionem; ab hac parte librum Pithoeanum noni saeculi (Bibl. Schol. Medic. Montepess. 125), quem comitantur tum scidae Arovienses saeculi decimi vel undecimi circiter 350 versus continentes, tum florilegium Sangallense noni saeculi, de quibus infra fusius disputabo; ab illa libri plurimi quos vulgares fere nominamus, quorum plus ducentos enumerat vir doctissimus Udalricus Knoche in editione sua anni MCMI. Inter hos et illos id praecipue

distat, quod *P Arov. Sang.* sinceriorem verborum memoriam praebent, ceteri interpolationis labe corruptam, id quod multis exemplis probari posset si quis contra sentiret, sed cum inter tot editores (Friedlaender p. 93; Duff pp. xliv–xlviii; Housman pp. 16–17; Clausen p. xii) neminem reperiam qui aliter opinetur, satis factum iri spero, si exemplis paucis communem hanc sententiam illustravero.

7,215 Celadi *PGU,* Enceladi *(nomen multo notius) Φ;* **8,5–6** umerosque minorem Corvinum *P*, nasumque minorem Corvini *Φ*; **8,147.151.167** Lateranus etc. *PGU,* Damasippus *etc. Φ* ex 185 *(ad 167 'sive Damasippus' annotat scholiasta);* **9,68** aquilone Decembri *PAGU*, mense Decembri *Φ*; **9,106** taceant *P, quod pro* fac eant *perperam scriptum intellexit Haupt,* clament *Φ*; **10,64** matellae *P SFG Sang,* patellae *Φ*; **10,73** turba Remi *PSGH*, turba tremens *Φ*.

Notandum praeterea aliud, quod non satis attendisse videntur editores, nempe inter *P* et *Φ* hoc interesse, quod versus aliquot omittit *P*, quos exhibet *Φ*, videlicet 5,91; 6,307; 6,558–559; 6,632–633; 14,1a.

5,88 illud enim vestris datur alveolis quod
canna Micipsarum prora subvexit acuta,
propter quod Romae cum Boccare nemo lavatur.
quod tutos etiam facit a serpentibus atris.

Si versus genuinus est, quem omittunt *PRUV*, quaerendum est quo casu exciderit, quod nemo explicare conatus est praeter Housmannum, qui tantam similitudinem inter voces *lavatur* et *atris* dispexisse sibi visus est, ut festinans librarius ab illa ad hanc statim transisse putandus sit. Credat qui volet; mihi veri similius videtur formam loci genuinam in libris sincerioribus reperiri: agnoscitur enim Iuvenalis manus in propriis *Micipsarum, Boccare;* contra

obscuri grammatici pedestris doctrina ostentatur in serpentium Libycorum mentione et in plurali numero ambigue posito: scire enim non potes quosnam a serpentibus tutos faciat oleum illud, solosne Micipsas an totum Afrorum genus; propter quam obscuritatem opinor illatum in quosdam codices *afros* pro *atris.*

6,306 I nunc et dubita qua sorbeat aera sanna
Tullia quid dicat, notae collactea Maurae
Maura, Pudicitiae veterem cum praeterit aram.
noctibus hic ponunt lecticas, micturiunt hic
effigiemque deae longis siphonibus implent
inque vices equitant et Luna teste moventur.
inde domos abeunt: tu calcas luce reversa
coniugis urinam magnos visurus amicos.

Versum 307 omittunt *PR* Arov., post 308 ponunt *K* Vat. Reg. 2029, quos sequitur Clausenus. Ne hic quidem ullam causam inveneris, cur versus exciderit; quodque gravius est, nisi v. 307 eieceris, vereor ut locum satis bene interpretari possis. Nam si vv. 307–308 de Tullia et Maura agitur, sine dubio hae sunt quae v. 309 ponunt lecticas et micturiunt; sequitur ut earum sit urina, quam miser ille Postumus calcaturus sit. Sed haec interpretatio in scopulum incidit, cum consideres, quales mulieres sint Maura et Tullia; nam 10,224 Maura est notissima fellatrix, neque collacteam eius Tulliam (licet eam 'eine vornehme Dame' dicat Friedlaender) antiquorum specimen morum facile crediderim. Sequitur, ut lecticarum mentio non conveniat turpissimis his meretricibus; nam lecticarum usum probrosis mulieribus ademit Domitianus (Suet., *Dom.* 8; cf. Dio Cass. LVII 15). Amoto v. 307 omnia plana fiunt: foedissima illa Maura ridet cum Pudicitiae aram praeterit, quippe cum reputet ea a ditissimis matronis cotidie fieri, quae scortis Suburanis dedecori essent; simul-

que matronae, quae lecticis portantur, hic ante ipsius deae effigiem mingunt, quippe quae vesicam vini plenam habeant. Magistellus nescioquis, qui putaret unum Maurae nomen cum pluralibus *ponunt* etc. cohaerere non posse, collacteam Maurae illam sibi commentus est, ut rectissime Courtneius in commentario ostendit. Verum enimvero eiusmodi ignem excitavit, qui non tam lucem daret, quam domum fumo impleret; nam bonus ille Duffius, in quo sanum iudicium laudavit contra morem suum Housmannus, de tribus feminis agi putabat, nempe de Tullia deque duabus sororibus quibus aeque Maura nomen fuerit. Contra vir doctissimus Chr. Gnilka (*Riv. fil. class.* 96, 1968, 47–54), istis Maurabus suas res sibi habere jussis, ita versum 307 interpretatus est, ut de una Tullia agatur, quae hyperbolice non tantum Maurae collactea, sed quasi altera Maura dicatur, cui rationi, doctae illi quidem et ingeniosae et tanto viro dignae, assensum certe tribuerem, si versus omnium librorum auctoritate fulciretur, sed cum in optimis desideretur, in aliis diverse collocetur, damnare quam vel subtilissime interpretari malo.

6,557 praecipuus tamen est horum [sc. astrologorum], qui saepius exul,
cuius amicitia conducendaque tabella
magnus civis obit et formidatus Othoni.
inde fides artis, sonuit si dextera ferro.

Versus 558–559 omittunt *PFG* Optimo iure Ribbeckius: “Iuvenalis numquam tam ineptus fuisset, ut Seleuci sive Ptolemaei amicitia Galbam obisse diceret. Othonis quippe, non Galbae familiaris erat mathematicus ille quocumque nomine appellatus, nec quisquam dixerit velut Pyladis amicitia perisse Aegisthum. Praeterea nec ‘conducenda’ sed ‘conducta’ tabella Galbae nocuisse La-

tine dicenda erat, nec formidatum Othoni senem infirmum nisi forte interfectum (Sueton, *Oth* 7) accepimus: extimulabat Othonem 'in Galbam ira, in Pisonem invidia. fingebat et metum' Pisonis scilicet 'quo magis concupisceret', ut Tacitus *hist.* 1,21 narrat. Cur autem 'civem' quam principem maluit dicere poeta noster? ... Denique haec si coniunxisset Iuvenalis 'praecipuus tamen est horum, qui saepius exul, cuius amicitia' e. q. s., non genus mathematicorum, qui saepius exilium passi essent, sed unicum illum Chaldaeum, qui Othoni 'sceleris instinctor' fuit, quem tamen 'saepius exulem' fuisse nemo tradidit, designavisset." Sed neque illud, credo, quenquam latebit, arctissime cohaerere vv. 557 et 560, quorum compages hiare cogitur versibus 558–559 insertis. Hic quoque negandum est ullam in verbis similitudinem esse, qua deceptus librarius a 557 ad 560 transiturus fuerit.

6,629 Vos ego, pupilli, moneo, quibus amplior est res,
custodite animas et nulli credite mensae:
livida materno fervent adipata reneno.
mordeat ante aliquis quicquid porrexerit illa
quae peperit, timidus praegustet pocula papas.

Versus 632–633 omittunt *PG.* Nemo dixerit incongruos vel absurdos esse hos versus, aeque tamen nemo necessarios. Veneno fervere adipata, quae mater pueris suis porrexerit, iam dixit Iuvenalis, neque plura dicere opus erat, unde Paldamus (*Zeitschrift f. Alterthumswiss.* 1838, p. 1143) distichon ab interpolatore male sedulo et actum agente profectum esse suspicatus est. Gravius tamen illud, quod idem Paldamus notavit, vocem *papas* noviciam esse, quae in libris saeculo demum tertio, in titulis exeunte altero primum reperitur. Itaque qui versus in optimis libris non reperiuntur, sensui non necessarii sunt,

vocabulum exhibent, quod Iuvenalis aetate in usu non fuit, cur non eos insiticios aestimemus?

14,1 Plurima sunt, Fuscine, et fama digna sinistra
et quod maiorum vitia sequiturque minores
et nitidis maculam haesuram figentia rebus,
quae monstrant ipsi pueris traduntque parentes.

Versus ille, quem inclinatis litteris exaratum vides, in omnibus praeter *PFU* invenitur, sed ab editoribus ita respuitur, ut ne Buechelero quidem vel Friedlaendero placuerit, solitis alioquin nihil non genuinum arbitrari, quod in libris extaret. Primus Lipsius vidit nihil aliud esse claudicantem hunc versiculum quam titulum saturae praefixum ad hunc fere sensum QUOD MAIORUM VITIA MINORES SEQUUNTUR et ab Arcadico quodam iuvene in hexametri fere formam imperite reductum. Vel ex hoc exemplo videbis, benevole lector, quibus fungis, quibus maximis lapidibus memoriam verborum Iuvenalianam per tot saecula servandam Fortuna ludibunda commiserit.

Itaque, cum hos versus inspexerimus, quos vulgata traditio habet, Pithoeana non habet, invenimus omnes ab eo respuendos esse, qui sanum iudicium habeat, sicque apertum fieri, in plurimis, immo in tantum non omnibus auctoris nostri codicibus, versus septem esse insertos, qui a poetae ingenio non fluxerint. Unum addam, quod iamdiu, optime lector, nullo admonente intelligis: omnes hos versus sedibus suis ita laxe haerere, ut salva syntaxi, salvo sensu abesse possint. Finge, si vis, omnes genuinos esse: statuendum tibi erit mero casu, fortuito transcribendi errore, somniculosorum scribarum neglegentia omissos esse. Quid tum? Quam veri simile id putas, ut quoties versus casu exciderit, toties sensum et syntaxin nihilo peiorem reliquerit?

Transeo ad ea, quae de versibus omissis vel perperam

additis ex Probi grammatici commentis colligere licet. Quis fuerit hic Probus, scire non possumus; Berytium illum fuisse quominus credamus, obstat temporum ratio. De grammatico hoc docte disputat Wessnerus in prolegg. ad scholia in Iuvenalem vetustiora (pp. XX–XXIII): hic satis erit dicere antiquum eum fuisse grammaticum, quarti fortasse vel quinti saeculi, cuius in Iuvenalem annotationes multa habent cum Pithoeanis scholiis communia, multa vero, quae alibi non reperias. Nostra vero refert, quod hic illic Probus notat quosdam versus in quibusdam codicibus deesse; quos locos ordinatim exhibebo.

6,231 Desperanda tibi salva concordia socru.
illa docet spoliis nudi gaudere mariti;
illa docet missis a corruptore tabellis
nil rude nec simplex rescribere; decipit illa
custodes aut aere domat. tum corpore sano
advocat Archigenen onerosaque pallia iactat.
abditus interea latet et secretus adulter
impatiensque morae silet et praeputia ducit.

Ad hunc locum notat Valla: "Hic versiculus [238] in quibusdam codicibus non est, inquit Probus." Sitne revera spurius hic versus, hoc loco non disputabo; illud tantum dicam, intelligi vix posse narrationis seriem. Nam si socrus, cum sano corpore sit, aegram se simulare vult, absurde vocat Archigenen, medicum in primis peritum, quem in tali re decipere non poterit. Non dissimulandum censeo, quam diverse hunc locum interpretati sint viri doctissimi: "Von *tunc* ab ist die Frau das Subject," inquit Friedländer; "The subject is still *socrus,*" Courtney, qui Chr. Gnilkae argumentis (*Wien. Stud.* 81, 1968, 194) recte assensum tribuit. Itaque de utranam feminarum loquatur poeta, dissensere editores; quaerendum deinde, qui sit

ille adulter. Num ipse Archigenes, sacramenti Hippocratici mirum in modum obliviosus? An forte amator aliquis, qui se Archigenen esse simulabit, manifestus tamen futurus simul verus Archigenes advenerit? Sed neque illud satis intelligo, cur latere dicatur adulter. Nam si id tantum vult poeta, sub medici habitu latere adulterum, mirabere profecto quid omnino morae sit, quominus vel cum uxore vel cum socru Postumi (nam id quoque obscurius expressisse videtur saturicus) rem habeat; simulque haerebis quaerendo curnam masturbatorem agere velit pseudiatros ille. Denique nunquam satis exploratum habui, unusne an duo hic versentur adulteri – alter, qui Archigenen se simulet, alter vero, qui armario quodam clausus exspectare cogatur, donec prior ille Veneris signa victor explicuerit. Ut summatim dicam, locus mirum in modum difficilis est, ut serio quaerendum sit num versus 238 pro notho haberi debeat.

6,362 Prodiga non sentit pereuntem femina censum,
ac velut exhausta recidivus pullulet arca
nummus et e pleno tollatur semper acervo,
non unquam reputant quanti sibi gaudia constent.

Ad v. 365 notat Valla, "Hic versus in quibusdam non est, ut inquit Probus." Statim quidem apparet necessarium esse hunc versum ad sententiam structuramque explendam, mirumque videbitur libros aliquot Probo notos fuisse, qui eum non haberent. Olim equidem sic cogitabam, revera fuisse ad hunc locum lacunam, quae fortasse ansam dederit interpolatori isti, qui versus Bodleianos confinxerit, versumque hunc satis affabre confectum quo sensus expleretur; simulque notabam pluralem numerum *reputant* non optime quadrare cum *femina* (362). Verum cum facillimum fuerit semisomno librario pro *reputat ... constent* reponere *reputant ... constent,* non negabo po-

tuisse hunc versum propter homoearchon omitti. Vir doctissimus Udalricus Knoche (*Grundl.* p. 60, n. 3) ideo versum omissum putavit, quod librarius male intellexisset notam quandam criticam, qua admoneretur lector versus Oxonienses hic in aliquibus reperiri; quod ut ingeniose excogitatum non nego, ita veritati propius accedere non arbitror. Tu, lector, iudicabis.

6,610 Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit
philtra quibus valeat mentem vexare mariti
et solea pulsare nates. quod desipis, inde est,
inde animi caligo et magna oblivio rerum
quas modo gessisti. tamen hoc tolerabile si non
semper aquam portes rimosa ad dolia, semper
istud onus subeas ipsis manantibus urnis
quo rabidus nostro Phalarim de rege dedisti,
et furere incipias, ut avunculus ille Neronis
e.q.s.

Versus qui 614 sequuntur in libris perpaucis reperiuntur, in iisque ipsis vel alio loco vel in margine positi sunt. De eis notat Valla: "Sed hi tres versiculi in multis non sunt codicibus, quos in antiquissimo legimus codice et Probus etiam refert." Quid significent hi versus inter editores non satis constat: de re venerea interpretati sunt Ellis et Housman, quam rationem luculenter refellit Jachmann (*Studien zu Juvenal* p. 233 sq.). Illud tantum inter eruditos videtur constare, versus hos non esse genuinos (sic Friedlaender, Knoche, Courtney, astipulante Housmanno eatenus ut non huic loco compositos concedat).

6,632–633, ut iam vidimus, omittunt libri *PG:* de eis hoc notat Valla: "Hi duo, inquit Probus, versiculi in aliis non sunt." Versus non necessarios et in optimis non repertos miro consensu amplexi sunt editores praeter Knochium.

Ut summatim dicam, Probi quoque testimonio edocemur, quarto vel quinto saeculo in libris aliquibus Iuvenalis versus hic illic repertos esse, qui in aliis defuerint.

Postremo ad versus Oxonienses vertamur. Nemo, opinor, qui studia Iuvenaliana vel summis labris attigerit, nescit anno 1898 virum eruditum O. Winstedt, dum librum manu scriptum Bodleianum evolvit, quem Canonicianum Class. Lat. 41 nomine vocant, ibi invenisse post sat. 365 versus triginta quattuor ante ignotos, qui sic desinebant:

novi
consilia et veteres quaecunque monetis amici:
'pone seram; cohibe'. sed quis custodiat ipsos
custodes, qui nunc lascivae furta puellae
hac mercede silent? crimen commune tacetur.
prospicit hoc prudens et ab illis incipit uxor.

Quos versus statim videmus esse 6,346–348

audio quid veteres olim moneatis amici:
'pone seram; cohibe'. sed quis custodiat ipsos
custodes? cauta est et ab illis incipit uxor,

mirum in modum amplificatos, ut dubitare non possis alteram versionem esse genuinam, alteram aliquo modo recoctam. In eodem libro Winstedt duo versus aeque ignotos post 6,373 invenit in hunc modum:

ma⟨n⟩gonum pueros vera ac miserabilis urit
debilitas, follisque pudet cicerisque relicti.

Et de his versibus Oxoniensibus magna controversia est, dum alteri omnino fictos et insiticios, alteri verissimum Iuvenaliani ingenii fructum aestimant. Qui insiticios putant, ii credunt quinti saeculi hominem non omnino indoctum plus triginta versus in imitationem Iuvenalis

composuisse et in sextam saturam inseruisse; qui genuinos, primum quidem versus undetriginta excidisse, dein quinque qui statim post lacunam sequerentur ideo mutatos esse ut syntaxin aliquam haberent, inde eosdem quinos versus in novam sedem post v. 345 translatos esse, sed propter similitudinem vocum *custodes* et *prudens* duo versus excidisse, postremo mutilum versum *custodes et ab illis incipit uxor* expletum esse additis vocibus *cauta est.* Atque iidem credunt propter causam omnino aliam duo versus istos, quos supra laudavimus, in eo libro, unde omnes nostri profluxerint, librarii nescioqua negligentia excidisse. Si aperte dicendum est, quid sentiam, temulentorum somniis quam eruditorum hominum commentis similiora haec iudico, ut fusiuscule exposui *Mnemos.* 42, 1989, 442–468: verum non multum refert, lector, utram opinionem amplectare, nam oportet te credere aut plus triginta versus confictos esse et in Iuvenalis saturas insertos, aut quinque versus, qui ex triginta quattuor (undetriginta scilicet casu amissis) relicti essent, varie mutatos, de loco in locum motos, demumque, cum casu quodam decurtati essent, artificiose iterum expletos. Utrum voles eligito: negare non poteris verborum memoriam Iuvenalianam non tantum communes librariorum errores atque incurias passam esse, sed humano consilio et malitia depravatam esse.

Ut summatim dicam, sive quid inter Pithoeanam et vulgatam verborum traditionem distet consideremus, sive Probi grammatici testimonia diligenter perpendamus, sive Bodleianorum fragmentorum originem indagari conemur, unum illud confiteri cogemur, saeculo quarto et quinto inter exemplaria Iuvenaliana non constitisse qui versus genuini essent, cum alia plures, alia pauciores exhiberent. Vetus igitur illa cantilena, quam Buechelero praecinente repetebant Friedlaender et Duff, nempe nul-

lum esse apud Iuvenalem versum, qui sine dubio insiticius esse monstratus sit, sibilis conscindenda est, cum 5,91; 6,307.558–559.632–633; 14,1a optimi codicis auctoritate careant, 6,238.365.632–633 in libris Probo notis defuerint, 6,614abc fere omni librorum testimonio destituantur, denique unius libri dubia fide nitantur versus, quos Oxonienses vocamus.

Hic quaeras forsitan, lector, ecquid amplius ostendere potuerim, quam id quod nemo negabit, nempe optimum testem ceterisque praeponendum esse Pithoeanum. Cui quaestioni ut respondeam, diligentius censeo consideremus, quae fuerit apud Romanos Iuvenaliani operis fortuna. Poeta anno fere 130 mortuo, omnino latuisse videntur saturae nostrae per duo saecula, ut Friedlaender asserit p. 80 (cf. etiam Knoche, *Grundl.* p. 34 sq.), licet fieri possit ut Tertulliano anno c. 200 innotuerint, de qua re fusius agit G. Highet, *Juvenal the Satirist*, p. 183. Versus Iuvenalianos primus citat Lactantius inst. 3,29,17 (= Iuv. 10,365–366); inde tanto favore acceptus est poeta ut, teste Ammiano (28,4,14), illi etiam iuvenes, qui nihil aliud legebant, 'detestantes ut venena doctrinas', Iuvenalis saturis se oblectarent; qui favor ideo crevit, ut saeculis quarto et quinto vix ulli Latino scriptori ignotus fuisse videatur: exempli causa laudabo Ausonium, Claudianum, Prudentium, item Macrobium, Martianum Capellam, Hieronymum, Sidonium Apollinarem. Saeculo vero quarto exeunte vel quinto ineunte, ut Knochio videtur, qui unus omnium memoriam verborum Iuvenalianam diligentissime indagatus est, in duos quasi ramos diffissa est traditio, dum ex altero libro fluit Pithoeanus noster paucique eius affines, ex altero omnis illa turba, quam siglo *Φ* notamus. In hos libros versus ad septem insiticios irrepsisse invenimus: credamusne Pithoeani parentem hac labe omnino intactum fuisse? Primum quidem (ut ea

praeteream, quae vulgo nota sunt, ut versus dubios 9,134a et 11,165–166 et 14,229 in Pithoeano inveniri, quos libri vulgares ignorant) consideremus Pithoeani speciem: praeter 5,91 omnes illi versus, quos in ceteris invenimus, in margine additi sunt (unde Duffius p. 192 satis absurde eos Pithoeani auctoritate fulciri aestimat); nonne certissimum est, si quis librarius iussus esset Pithoeanum exscribere, futurum fuisse ut omnes illi in verborum contextum sine mora reciperentur? Nam haec natura est additamentorum, ut scribarum diligentia, dum verba ea genuina et casu omissa credunt, mox indignanti auctori obtrudantur. Exemplo sunt novem illi versus ab Heirico fortasse conficti, quos in initio Horat. *serm.* 1,10 invenimus, quique per libros recentiores latius repserunt; item Lucani *bell. civ.* 1,436–440 in vetustioribus libris non reperti: errandi morem hunc notat Hall, *Companion to Classical Texts* p. 193 sqq. Meminerimus etiam Iuvenalis saturas quarto saeculo plurimos lectores habuisse, neque tamen eum locum in scholis invenisse, ut grammaticorum tutela contra depravationem defenderentur: confitendum erit, miraculi instar fuisse, si ab omni interpolationis labe immunis mansisset vel unus librorum Iuvenalianorum, qui tunc temporis circumferebantur. Immo vidimus bonum illum Probum versus 6,238 et 365, quos in Pithoeano reperimus, in aliquibus libris deesse notare. Itaque, si quis Pithoeanum omni interpolatione carere clamabit, divino eum afflatu vaticinari opinabor, cum oculis et ratione ad eam opinionem pervenire non possimus.

Restat, ut ei opinioni adversemur, quam de Iuvenale eiusque poesi habuerunt Friedlaender et Housmannus, quos a me in hac re coniunctos esse mirabere, lector, cum tam acerbe in illum hic invectus sit. Friedlaender autem, licet ex Housmanni praefatione miris modis ineptum vixque

sanum iudicare possis, re vera, ut homini doctissimo et in Romanorum moribus indagandis versatissimo par fuit, non sine ratione quadam verba poetae, sicut in libris manu scriptis tradita erant, summopere servare studebat; non enim litterarum iudicio ita carebat, ut amaris intiba fibris a dulcissimis Musarum fructibus discernere nequiret, sed id vitio poetae vertebat, quod egregie dictorum gratiam insulsa repetitione vel ineptis quibusdam explicationibus minuere soleret (praef. p. 49). Quam opinionem amplecti videtur Housmannus dum eos improbat qui, quicquid summi ingenii maturaeque meditationis lumina prae se non ferret, ab inepti interpolatoris indole profectum putabant. Qui de moribus scribunt, ait (praef. p. xxxii), saepe frigent; qui argentea aetate scribebant, verbis saepe redundabant; sequitur ut versus apud Iuvenalem frigidos et redundantes, licet aliter conceptos velimus, poetae abiudicare non debeamus. Ratiocinatio, ni fallor, haec est: qui de moribus scribunt, saepe frigent, quique argentea aetate poemata pangebant, saepe redundabant; Iuvenalis autem et argentea aetate vixit et de moribus scripsit; igitur Iuvenalis multos versus frigidos et redundantes scripsisse putandus est. Parili syllogismo probare possis Pindarum fuisse stultum, cum Boeoti ferme stulti aestimarentur, Pindarus autem Boeotus esset, quo exemplo usus est ipse Housmannus praef. p. xiv. Videamus iam quid de Iuvenale eiusque libris manu scriptis certe statuere possimus. Certum est Iuvenalem multa praeclara poemata conscripsisse inque eis multas luculentas sententias posuisse; aeque certum est ex ipsorum librorum testimonio, versus nonullos in eo corpore interpolatos esse, eosque fere ineptos, frigidos, redundantes esse. Itaque externis, ut ita dicam, docemur indiciis Iuvenalem quidem praeclare scripsisse, interpolatores vero inepte: quodnam, quaeso, indicium habemus, ipsum Iuvenalem

versus frigidos et ineptos operi suo inseruisse? Quis Quintilianus vel Gellius vel Macrobius id Iuvenali obicit, quod praeclaras sententias frigidiusculis quasi glossis debilitet? Qui igitur Iuvenalem aliquando ineptire putant, hypothesin fingunt non necessariam, quod omnes dialecticae leges improbant. Rationi multo magis consentaneum videtur, si quid apud Iuvenalem invenerimus, quod poeta indignum videatur, interpolatoris malae sedulitati id assignare, quos in eo studio ineptientes iam saepe deprendimus.

Vertamur nunc ad eos versus, quos in omnibus codicibus inventos spurios tamen iudicavere editores Housman, Knoche, Clausen, ut intelligamus, si fieri possit, unde ortae sint interpolationes.

3,109 Praeterea sanctum nihil ⟨illi⟩et ab inguine tutum,
non matrona laris, non filia virgo, neque ipse
sponsus levis adhuc, non filius ante pudicus.
horum si nihil est, aviam resupinat amici.
scire volunt secreta domus atque inde timeri.

Versibus 109–112 effrenatam Graeculis libidinem assignat poeta, ut, si desint pulchra et iuvenilia corpora, quae ad rem veneream ferme sollicitent, aniculam aliquam neque forma neque aetate commendatam comprimere malint, quam omni concubitu carere. Id vero cum non concoqueret lector nescioquis minus libidinosus quam Graeculus iste, neque intellexisset cur quis eiusmodi venerem sectaretur, ex ingenii sui thesauris hunc versum addidit, quo significaret non voluptatis causa hoc fieri, sed ut decrepita anus, dum amplexibus diu desuetis, immo desperatis, grato animo fruitur, quasi vicem rependens omnia effunderet quae de familiae secretis cognita haberet. Somnium; nam et de sola libidine hic agitur, et

Iuvenalis, cum talem notionem paullo superius exprimere vellet (v. 73), eleganti sane figura usus est: *viscera magnarum domuum dominique futuri.* Animadvertendum est etiam, ut miser hic interpolator, cum Iuvenalis singulari numero usus sit *(concutitur, flet, dolet, accipit, sudat, potest, resupinat)* numero plurali quasi de Graecis in genere loquatur, id quod recte notat Nisbet, *JRS* 52, 1962, 234.

3,278 Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,
dat poenas, noctem patitur lugentis amicum
Pelidae; cubat in faciem, mox deinde supinus:
ergo non aliter poterit dormire quibusdam
somnum rixa facit.

Nihil veri similius videtur, quam glossatorem aliquem ad verba *somnum rixa facit* recte sed superflue addidisse 'non aliter potest dormire', quam glossam additis voce nihil significanti numerisque Iuvenalianis repugnanti *ergo* (cuius ultimam nisi in arsi non producit poeta) et voce contrarium sensum inducenti *quibusdam* (non enim de quibusdam, sed de uno hoc petulanti ebrioque iuvene agitur) magistellus nescioquis in formam misere claudicantis hexametri redegerit.

5,62 quando ad te pervenit ille?
quando rogatus adest calidae gelidaeque minister?
quippe indignatur veteri parere clienti,
quoque aliquid poscas et quod se stante recumbas.
maxima quaeque domus servis est plena superbis.

Glossator aliquis non tam ferreus fuit ut teneret se, cum apud Iuvenalem id repperisset, quod ipse sine dubio saepe expertus erat, nempe superbe atque insolenter agere divitum servos in pauperes clientes; adiecit ergo de suo in maximis quibusque domibus hoc fieri, quod apud Virronem describit poeta. Idem fere, sed pedestri ser-

mone, expressit scholiasta Pithoeanus: "Aegre hoc semper servi habent, quod illis stantibus amici sui domini discumbunt." Non bene intellexisse locum videntur Duffius et Housmannus, cuius verba sunt: "The point is the insolence not of supercilious flunkeys but of blackamoors from the stables;" cum non Gaetulo Ganymedi (v. 59) hanc superbiam imputet poeta, sed illi tot milibus empto puero (v. 60), qui *pauperibus miscere nescit,* ut recte agnoverunt in versionibus suis Gifford et Dusaulx.

8,254 plebeiae Deciorum animae, plebeia fuerunt
nomina; pro totis legionibus hi tamen et pro
omnibus auxiliis atque omni pube Latina
sufficiunt dis infernis Terraeque parenti.
pluris enim Decii quam quae servantur ab illis.

Scholiasta Pithoeanus ad h. l. notat: "Plus meriti habent Decii apud deos, dum hi se pro patria voverunt, quam habet ipsa patria apud deos meriti, quae servata est." Habes eundem fere sensum atque in v. 258, quem suspicor nihil esse nisi glossam in hexametri formam reductam, licet non multum ei adversari velim, qui versum a poetastro nescioquo de suo confictum atque insertum affirmare malit.

11,159 hic [sc. servulus meus] tibi vina dabit diffusa in montibus illis
a quibus ipse venit, quorum sub vertice lusit.
namque una atque eadem est vini patria atque ministri.

Scholiasta Pithoeanus ad v. 161 ait: "De eadem villa vinum, unde et minister est." Nemo non agnoscet pedestri sermone hic exprimi, quod versu 161 hexametro claudicante expresserit interpolator. Veri simile videtur ex glossa confictum esse versiculum quinque syllabarum eli-

sione laborantem, id quod alibi apud Iuvenalem non reperitur.

11,162 forsitan expectes, ut Gaditana canoro
incipiat prurire choro plausuque probatae
ad terram tremulo descendant clune puellae,
spectant hoc nuptae iuxta recubante marito
quod pudeat narrare aliquem praesentibus ipsis
irritamentum veneris languentis et acres
divitis urticae.

Vv. 165–166 hic ponunt *PA*, post 160 *FLZ*, post 161 inverso ordine *HO*, omittunt *GKTU*; de eis ne hiscit quidem scholiasta. Nihil magis apertum, quam versiculos margini cuiusdam libri olim fuisse appositos, unde in verborum contextum sed diversis locis irrepserint.

12,48 sed quis nunc alius, qua mundi parte quis audet
argento praeferre caput rebusque salutem?
non propter vitam faciunt patrimonia quidam,
sed vitio caeci propter patrimonia vivunt.

Transcribenda puto, quae Bentleius ad Hor. *A.P.* 337 notat: "Vides hic in mediam narrationem sententiolas has intrudi, putide prorsus et perquam inscite. Quorsum enim hic *quidam?* cum jam dixerit, ne unum quidem ulla mundi parte vitam patrimonio praeferre? Quale autem illud, *facere patrimonia?* quae scabies locutionis? Quam alienum et pannosum illud *vitio caeci?* quod eo tantum assuitur, ut versiculi cento sarciatur." Si vis inter seria ridere, lector, admoneo ad hunc locum consulas veterem illum Achaintrium, qui de his duobus versibus ait, "Ils renferment une sentence très-morale et très-vraie."

14,204 lucri bonus est odor ex re
qualibet. illa tuo sententia semper in ore

versetur dis atque ipso Iove digna poeta:
'unde habeas quaerit nemo, sed oportet habere'.
hoc monstrant vetulae pueris repentibus assae,
hoc discunt omnes ante alpha et beta puellae.

Per totam hanc saturam id agitur, ut monstretur quantum valeat patris exemplum in puerorum moribus depravandis; itaque a proposito alienum est notare quid pueris puellisque ab aniculis nutricibus inculcetur. Bene et acute notat Courtneius, praeeunte Housmanno, posse fieri ut ideo additi sint hi versus a glossatore non indocto, quod apud poetam illum, quem citat Iuvenalis, post versum 207 sequerentur.

Vides hos versus insiticios ex diversis causis oriri. Aliquando enim accidit ut lector sensum loci recte capiat, ut 3,281 'non aliter poterit dormire' et 11,161 'de eadem villa vinum unde et minister est', aliquando ut non capiat, ut 3,113 'scire volunt secreta domus'; aliquando agnoscere videmur versus ex alio quodam poeta in margine notatos moxque in verborum contextum admissos, ut 6,558–559 et 632–633; 14,208–209. In his omnibus casu potius quam consilio interpolatio orta videri potest, dum id quod bona fide glossae loco adiectum erat quasi ipsius poetae versum neglegenter omissum in locum reducere temptant homines semidocti et male seduli. Quaerendum iam est, nunquando factum sit, ut falsarius aliquis versus ex suo ingenio confinxerit Iuvenalique data opera obtrudere temptaverit. Hoc quidem ostendere conatus est Otto Ribbeck libro quem de Iuvenale genuino et spurio composuit (*Der echte und der unechte Juvenal,* Berolini 1865), cuius opinio fuit saturas X et XII–XVI aliena manu in Iuvenalis imitationem confictas esse, eiusdemque farinae esse 4,1–36 et 11,1–55. Quam sententiam cur non ipse amplectar, paucis exponam (nam iniuria viri

magni et de litteris Latinis bene meriti maior eruditorum pars de hac re omnino tacet). Primum quidem, licet me aures aut nullas aut asininas habere censeas, lector, adduci non possum ut saturam decimam a magistello quodam inepto (*'einem armseligen Stümper'*) ex rhetoricis pannis imperite consutam opiner. Deinde mirum videtur, in ipsis eis saturis, quas aliena manus confinxerit, versus inveniri, qui interpolationis stigmata in se ferant, ut 10,41–42 (Scholte), 150 et 160 (Nisbet), 225–226 (De Jonge), 12,50–51 (Bentleius); 13,183 (Heinrich), aliosque non paucos; nam si tota satura ab inepto falsario concepta esset, nimis subtilis iudicii esset ea secernere quae vel ineptior manus in verborum contextum infersisset. Denique videmus per omnes saturas indicia sparsa aetatis, qua compositae sint, ut iudicium illud Marianum in prima, Domitiani mors in quarta, Traiani in Parthos illatum bellum in sexta, etc., unde non sine ratione collegit Friedlaender p. 14 primum librum inter 112 et 116 editum, alterum inter 116 et 118, tertium inter 118 et 121, quartum inter 121 et 127, quintum post 128. Iam si libri quartus et quintus non a Iuvenale, sed ab eius simia compositi essent, mirarere quam subtili malitia per saturas eiusmodi aetatis indicia sparsisset, quae seriem quam dicunt chronologicam praeberent. Mihi quidem veri similius videtur, senescenti poetae vires paulatim defecisse, paulatimque eam consuetudinem inolevisse, ut non iam figurarum quasi cuniculis, sed apertis simplicibusque sententiis morum turpitudini bellum indiceret.

Illud vero in libro Ribbeckiano non satis animadversum arbitror, quod non tantum monosticha vel disticha, sed integros locos confictos et in saturas genuinas insertos vir magnus aestimabat, inter hos saturae quartae initium usque ad v. 36; monstrabat autem prologum eum cum re-

liqua saturae parte non cohaerere, multaque inibi esse, quae intelligi vix possent – verbi causa Crispinum saepe vocandum ad partes, de quo homine Iuvenalis postea ne frit quidem; mulli pretium quasi enorme prolatum, quod statim minuere laborat poeta quasi fama exaggeratum, multaque alia vel in rebus vel in verbis stolide inepta. Quam Ribbeckii sententiam pars eruditorum maxima non tam damnavit, quam omnino animadvertere noluit, cum absurdum videretur putare quenquam tam audacem fuisse, ut plus triginta versus in Iuvenalis imitationem compositos in saturam aliquam infercire auderet, aut in scelere suo tam felicem futurum fuisse, ut suppositos suos et decolores versus a lectoribus pro genuinis acceptos videret. Ecce anno 1898 invenimus versus triginta quattuor a falsario quodam conceptos et in sextam saturam insertos; quos versus, omni librorum auctoritate pro nihilo habita, quasi verissimos horti Iuvenaliani flores acceperunt qui Ribbeckium vel amarissime deriserant vel silentio (nam id huic criticorum generi semper acceptius) transire maluerunt. Si qui apud inferos sensus est, crediderim Ribbeckium cum Iuvenale inter pocula vel Falerna vel Pilseniana risisse. Itaque serio quaerendum opinor, sintne apud Iuvenalem, praeter glossas ceteraque marginalia in verborum contextum incaute recepta, altioris fraudis vestigia detegenda, qua homines suo marte versus confinxerint, quos poetae operi scientes obtrudere voluerint.

Et primum videamus sat 2,143–148, de quo loco fusius alibi disputavi (*Mnemos.* 45, 1992, 376–380). Primum quidem cum Hermanno consentio, cui Iuvenale indignus visus est catalogus iste ubi septem habes genera eorum, quibus generosior fuerit Gracchus (id est Capitolinis, Marcellis, Catuli minoribus, Paulli minoribus, Fabiis, omnibus ad podium spectantibus, ipso principe), quique

inanem hunc verborum strepitum aliquanto minuere voluit demptis vocibus *et Marcellis ... minoribus.* Deinde a Ribbeckio dissentire nequeo stoliditatem eius vituperante, qui externi decoris violationem (*'eine Verletzung des äußeren Decorum'*) peiorem ducere potuerit quam foedam illud et detestandum spectaculum, cum vir nobilissimus et Saliaris cornicini nuberet omnesque sollennium nuptiarum ritus exsequeretur. Quam doctissimi viri rationem ita refellere conati sunt ii, qui pro criticis hodie habentur, ut affirmarint nihil Romanis magis proprium, quam ut externi decoris violationem quovis scelere privatim admisso foedius aestimarent. Aliter tamen sensisse videtur saturicus noster, qui quasi primum Cretici facinus et inter pravitatis tirocinia allegat, quod Coa veste publice et in foro utatur; deinde, cum dixerit foedius eum aliquid hoc amictu quandoque facturum, foedioris illius rei specimen mox profert, quod idem Creticus secreto et intra parietes (v. 91 *secreta taeda*) femineis se vestibus induturus, faciem picturus, etc. est; quae omnia non gravioris, sed multo levioris infamiae putavisset, si ea quae publice delinqueremus omnino peiora aestimasset, quam quae privatim. Deinde quaero, quatenus privatim eas nuptias celebravisse putandus sit Gracchus, ad quas auspex et testes et amici adhibiti sint. Denique, si maxime ita aestimavisset Iuvenalis, ut isti volunt, hos versus non scripturus erat; nam quantae ineptiae fuisset, per totam saturam ab initio ad v. 142 pathicorum et effeminatorum scelus exagitare, dein quasi in parenthesi lectorem admonere omni eiusmodi scelere peius esse in arena publice pugnare, deinde a v. 149 ad priorem illam materiam redire, qua docebat nihil Romanis maiori dedecori esse, quam ut viri muliebriter se gererent et muliebria paterentur? Sensisse hoc quidem videntur viri eruditissimi Friedlaender et Courtneius, cum hic quidem vv. 143–148 in parenthesi

ponendos dicat, ille melius omittendos fuisse iudicet (p. 162 *"Der Zusatz ... würde besser weggeblieben sein."*). Igitur non nimis audax videri possum, qui eiciendos opiner versus, quos ex una parte Ribbeckius, qui plurimos versus deleverit, ex altera Friedlaender, qui plurimos servaverit, poeta indignos esse iudicaverunt.

Item sat. 13,150–153 locum invenisse mihi videor a falsario data opera confictum. Vide quae Iuvenalis scripserit, dum amicum Calvinum commonet maleficia multo graviora quam illud, quod ipse passus sit, cotidie Romae fieri:

143 rem pateris modicam et mediocri bile ferendam,
si flectas oculos maiora ad crimina. confer
conductum latronem, incendia sulpure coepta
atque dolo, primos cum ianua colligit ignes;
confer et hos, veteres qui tollunt grandia templi
pocula adorandae rubiginis et populorum
149 dona vel antiquo positas a rege coronas;
154 confer et artifices mercatoremque veneni
et deducendum corio bovis in mare, cum quo
clauditur adversis innoxia simia fatis.

Vides quanta arte gravissimorum scelerum quasi catalogum evolverit poeta: latrones ad hominum caedem conductos, ignem domibus immissum, vetera atque pretiosa anathemata et templis furto sublata, venenum artificiose paratum venoque expositum; vides quanta vi repetat illud *confer,* quasi instanter cogat Calvinum mediocre et fere cotidianum suum infortunium cum his atrocibus maleficiis comparare. Dein vide quanta ineptia interpolator nescioquis totum locum misere debilitet, dum parvorum et contemptibilium furtorum mentionem inducit:

149 ... positas a rege coronas.
150 *haec ibi si non sint, minor extat sacrilegus qui*
radat inaurati femur Herculis et faciem ipsam
Neptuni, qui bratteolas de Castore ducat.
an dubitet solitus totum conflare Tonantem?
154 confer et artifices ...

Quam futiliter hic inducitur *minor sacrilegus,* cum ostendere velis gravissima scelera cotidie patrari! Quantaque ineptia in hoc Bavio detegitur, cum minor ille sacrilegus Iovis ipsius statuas totas conflare solitus sit, id est cum non inter minores sacrilegos, sed inter omnium maximos numerandus sit! Nil desperare debet insulsa mendacitas, cum et haec a doctis viris quasi Iuvenalis genio dignissima accepta sint.

Si vis alium locum inspicere, lector, ubi ea quae in libris reperiuntur ab ipsius Iuvenalis manu procedere non possint, adeas velim 6,335–345:

atque utinam ritus veteres et publica saltem
his intacta malis agerentur sacra! sed omnes
noverunt Mauri atque Indi quae psaltria penem
maiorem quam sunt duo Caesaris Anticatones
illuc, testiculi sibi conscius unde fugit mus,
intulerit, ubi velari pictura iubetur
quaecunque alterius sexus imitata figuras.
et quis tunc hominum contemptor numinis, aut quis
simpuvium ridere Numae nigrumque catinum
et Vaticano fragiles de monte patellas
ausus erat? sed nunc ad quos non Clodius aras?

Antiquitatis satis peritum fuisse qui haec scripserit nemo negabit, sed vide quam non cohaereant eis, quae ante posuit poeta. Inde a v. 314 nos docuit Iuvenalis, quanta im-

pudicitia Bonae Deae ritus a matronis celebrentur, dum eiusmodi saltant saltationem, quam impudica ancilla honeste saltare non posset, dum non modo cum amatoribus suis, sed cum servis, cum aquariis ad id conductis, denique, si desint homines, cum asinis rem veneream exercent. Sequuntur versus, quos supra exhibui. Quam incongruum illud: *atque utinam ritus veteres et publica sacra* non sic polluerentur! Quid? Non erant veteres Bonae illius Deae ritus? Immo ad ipsam Urbis originem redibant. Non publica sacra? At omnia publica fuere sacra, quae pro populo fieri solebant, ut haec ipsa. Itaque publica et antiqua sacra foedissime pollui queritur poeta vv. 314–344, deinde optandum fuisse ut publica saltem et antiqua sacra his malis intacta manerent; tum quasi dolens confitetur omnibus probe notum esse, Bonae Deae ritus tunc temporis pollutos esse, cum Clodius in eos se clam insinuaverit, licet mares inde abesse iubeantur. Attat! Magnum certe et foedum sacrilegium, ut vir ea sacra ante ducentis annis vidisset tantum, ad quae saturici ipsius aetate confluerent ingenui, servi, bestiae ad matronas nobilissimi generis subigitandas! Vide etiam quam ab re sit, viri foedum facinus allegare in ea satura, quae in corruptis matronarum moribus castigandis tota versetur. Non effugere haec Ribbeckium, qui p. 170 versus 335–336 ineptissimos iudicavit; non effugere haud minus eruditum Friedlaenderum, qui aliud asserit *Bonae Deae secreta* (v. 314), aliud *ritus veteres* (v. 335), quos pulchellus ille puer polluisset: "Aber von jenen *secreta bonae deae* unterscheidet Juvenal das staatliche Fest ganz ausdrücklich, indem er es 335 f. als *ritus veteres et publica sacra* bezeichnet." Sed bona tua venia, Vir Magne, dixerim, haec non procedunt. Nam primum quidem Festi verba respiciamus (p. 245 M.): "Publica sacra, quae publico sumptu pro populo fiunt, quaeque pro montibus, pagis, curis, sacellis.

At privata, quae pro singulis hominibus, familiis, gentibus fiunt." Publica ergo sunt, non quae coram populo, sed quae pro populo fiunt, ut eaedem caerimoniae et secretae et publicae esse possint. Sed esto, si ita vis: sint secreti ritus illi, de quibus poeta vv. 314–344; sint contra publici, de quibus vv. 335–345. Si publici sint eo sensu quo vis, id est coram populo facti, quid obstat, quin qui velit accedat? At illud fuit Clodii scelus, ut accederet tantum. Cadit ergo astuta haec defensio, qua *secreta Bonae Deae* aliud quoddam ostendere cupimus quam *ritus veteres et publica sacra,* quae profanaverit Clodius, praesertim cum inveniamus eandem Saufeiam hic posita corona lenonum ancillas provocantem (v. 320), quam 9,117 pro populo facientem. Saufeia igitur intelligenda est, ut idem Friedlaender rectissime notat, vel consulis vel praetoris urbani uxor, ut Calpurnia fuit Caesaris praetoris uxor anno eo, quo Clodii facinus admissum est. Notandum etiam est, hanc Saufeiam in nona quasi bibacissima nominari, quae hic tum demum ancillas provocat, cum concubitus ardor meri veteris copia adauctus est, ut de eadem femina deque eisdem ritibus agi nemo dubitare possit.

Sic igitur opinor, viam praemonstrante vetere amico Heriberto Freeman, versus 337–345 ab antiqui poetae manu procedere, quos in margine addiderit lector studiosus, cum de eisdem ritibus foede pollutis ageretur; deinde, cum loco illi male cohaerere viderentur, interpolatorem vv. 345–346, quos ineptissimos recte iudicavere Heinr. et Ribb., eo consilio addidisse, ut transire videretur poeta a suae aetatis matronarum impudicitia ad Clodii notissimum illud sacrilegium. Cur vero muris fugientis mentio Andreae Scholtio, critico alioquin satis ingenioso, tam vehementer displicuerit, intelligere non possum, qui dum quaerit, "Num mus femina inde non fu-

git?" oblitus videtur murem feminam testiculorum consciam esse non posse. Unum amplius addam, non ita defendi posse hunc locum, ut statuamus Iuvenalem vehementer conqueri quod Clodii quidem aetate inauditum et prodigii loco habitum esset, si vir secretis matronarum ritibus se imiscuisset tantum, suis vero temporibus ita depravatos esse mulierum mores, ut in iis ipsis sacris nullum trupitudinis genus praetermitteretur. Nam si id voluisset Iuvenalis, totum locum omnino aliter efficturus erat, neque tam languide in verbis *nunc ad quas non Clodius aras* desivisset, cum non de viris ad vetitas aras accedentibus, sed de matronis suos ipsarum ritus foeda libidine polluentibus agatur.

Contra omnis ex misello interpolatoris ingeniolo profectus videtus locus 6,209–211. Primum quidem videsis quanta vi Iuvenalis rem exponat:

> si tibi simplicitas uxoria, deditus uni
> est animus, summitte caput cervice parata
> ferre iugum. nullam invenies quae parcat amanti.
> nil unquam invita donabis coniuge, vendes
> hac obstante nihil, nihil haec si nolet emetur.

Elegans sane et succi plenus locus; sed iam adverte quam incongruum pannum assuerit magistellus inepte balbutiens:

> ... nullam invenies quae parcat amanti.
> *ardeat ipsa licet, tormentis gaudet amantis*
> *et spoliis; igitur longe minus utilis illi*
> *uxor, quisquis erit bonus optandusque maritus.*
> nil unquam invita donabis coniuge ...

"In quibus," ut Ribbeckii verbis utar, "quod 'ardere' mariti amore statuitur uxor, ne convenit quidem satis aut

cum protervitate qua 'non unus' marito 'rivalis dictabitur heres' aut cum inconstantia relinquentis mox regna et flammea conterentis. Relicua autem partim exaggerata, quod 'tormentis' mariti gaudere dicitur, partim languida, cum eadem, quae torqueat maritum tortoque gaudeat, detestandum profecto malum, 'longe minus utilis' viro uxor dicatur, partim inania ut 'bonus optandusque maritus' et repetita in versuum 208 sq. exitu 'amanti' et 'amantis', partim hiulca et horrida, cum 'illi qui erit' non 'quisquis' dicendum fuerit." Recte et Scholtius addit verborum structuram 'longe minus utilis illi uxor quisquis erit bonus optandusque maritus' pro 'eo minus utilis est uxor, quo melior et optabilior est maritus' admodum contortam esse vixque Latinam habendam; immo totam loci sententiam, qua de mariti spoliis agatur, a poetae sententia alienam esse, cum Iuvenalis de uxore imperiosa, non de damnosa loquatur. Neque praetereundum censeo, ea quae de mariti moribus dicuntur, quasi bono optandoque marito inutilis sit uxor, rigido contra et severo fortasse utilis, ab huius saturae scopo esse aliena. Nusquam enim ait Iuvenalis bono viro, sed universe omnibus viris matrimonium esse effugiendum. Praeterea quam arcte cohaereant illa *nullam invenies quae parcat amanti* et *nil unquam invita donabis coniuge,* quamque imperite atque inartificiose his nugis interiectis a se invicem secedere cogantur, neminem fugiturum opinor.

Audire mihi videor quosdam reclamantes, "Heus tu, quanta arrogantia versus Iuvenali abiudicas, quos fortasse minus elegantes dixerit quispiam, sed qui omnium librorum auctoritate fulciuntur!" Recurramus paulisper ad versus 6,614abc, quorum supra mentionem feci:

inde animi caligo et magna oblivio rerum
quas modo gessisti. tamen hoc tolerabile, si non
semper aquam portes rimosa ad dolia, semper
istud onus subeas, ipsis manantibus urnis
quo rabidus nostro Phalarim de rege dedisti.
et furere incipias, ut avunculus ille Neronis ...

Housmanni quidem sententia fuit, hos versus Iuvenalis esse, Courtneii vero Iuvenalis esse non posse, quam controversiam ita effugit Friedlaender, ut totam rem silentio transiret – recte quidem, ut mihi videtur, nam versus, quos omittunt omnes bonae fidei libri, hoc loco inveniuntur in Vat. Urb. 661, post 601 locantur in Laurent. 34, 42 et Vat. Reg. 2029, ubi in margine leguntur, ut luce clarius sit, eos a poetae ingenio procedere non posse. Probo quoque notos fuisse hos versus notat Valla, ut palam fiat eos cadente antiquitate esse confictos et nonnisi in paucos libros irrepsisse. Qua causa acciderit, ut interpolator meliora fortuna non sit fructus, dicere non possum; putarem versus ita ineptos et obscuros esse, ut nemo pro genuinis accepturus fuerit, nisi alios non multo minus ineptos viderem in verborum contextum acceptos. Sed fingas tibi animo velim, lector, in codicem omnium nostrorum parentem irrepsisse hos versus: nonne putas plurimos editores extituros fuisse, qui pro genuinis acciperent deque 'delirio delente' vel de 'lue Jachmanniana' festive loquerentur, si quis Iuvenali abiudicaret? Quid? Non ipse Housmannus (credo ut a ceteris editoribus dissentiret« hos versus ipsius Iuvenalis esse affirmavit, sed loco non suo positos? Vides, lector, in huiusmodi quaestionibus nullius hominis auctoritatem tanti faciendam esse, ut ipsi a iudicandi munere vacare possimus. Equidem casus ludibrio id factum opinor, ut ex multis versibus, quos vel ex suo ingenio fabricaverint interpolatores (cui generi multo

maximam horum in libris naevorum acceptam refero) vel ex glossis vel locis parallelis in margine appositis librarii semisomnes in verborum contextum acceperint, alii in libros universos irrepserint, alii nonnisi in vulgarium librorum turbam, pauci denique vel in unum vel in duo, ut versus Oxonienses. Sequitur, ut in eiusmodi verborum memoria, quam probe novimus interpolationibus fuisse obnoxiam, quoties in versus incidimus, qui vel materia vel stilo indigni Iuvenale iudicari possint, serio quaerendum sit, utrum a poetae ipsius an ab alia quadam manu profecti sint.

Hac ratione rectissime, ut mihi videtur, inductus est M. D. Reeve (*Class. Rev.* 84, 1970, 135 ss.) ut notissimum versum 10,356 extruderet foras. Poeta enim, cum recensuerit quali eventu homines sibi vel liberis divitias, potentiam, rerum in bello gestarum laudem, eloquentiam, corporis pulchritudinem optent, nos hortatur ut diis ipsis expendere permittamus, quid nobis maxime conveniat; deinde, ne omnem precandi morem e medio tollere videatur, addit

354 ut tamen et poscas aliquid voveasque sacellis
exta et candiduli divina tomacula porci,
357 fortem posce animum, mortis terrore carentem,
qui spatium vitae extremum inter munera ponat
naturae, qui ferre queat quoscumque labores,
nesciat irasci, cupiat nihil, et potiores
Herculis aerumnas credat saevosque labores
et Venere et cenis et pluma Sardanapalli.
monstro quod ipse tibi possis dare. semita certe
tranquillae per virtutem patet unica vitae.

Nihil apertius, nihil simplicius potuit esse. Nempe fortunae munera, qualia per totam hanc saturam recensuit

poeta, cordato viro non sunt appetenda; optandus contra a diis est animus fortis, quo fortunam vel bonam vel malam constanter ferre possimus; nam ut vitam agamus tranquillam, sola virtus praestat. Nunc vide, quam alienos pannos poetico operi assuerint interpolatores. Bavius enim ex tritissimis ethicae philosophiae sententiolis ('eine Umschreibung des sehr gewöhnlichen Gebetes um bona mens und bona valetudo' vocat Friedlaender) ingerit v. 356: *Orandum est ut sit mens sana in corpore sano,* quasi vero corporis sanitas non sit inter ea fortunae munera, quae cotidie precibus suis petunt homines, cum, si recte aestimes, non numerari queat inter ea, quae homo sibi ipsi possit dare. Deinde advolat tibi Maevius, qui cum prae pinguedine ingenii non intellexisset unicae virtutis esse has laudes, toti huic diatribae ita poplites succidit, ut non virtute fortiter ferendas proclamet Fortunae plagas, sed prudentia callide defugiendas:

> nullum numen habes, si sit prudentia; nos te
> nos facimus, Fortuna, deam, caeloque locamus.

Hic quidem non anxie quaerendum est, unde distichon hoc provenerit; est enim ex sat. 14,315–316:

> nullum numen habes, si sit prudentia: nos te,
> nos facimus, Fortuna, deam. mensura tamen quae
> sufficiat census, si quis me consulat, edam.

Neminem opinor tam caecum (si bonum illum Guietum excipias), quin videat hanc fuisse genuinam loci formam, ideoque in decima adiecta esse verba minime necessaria *caeloque locamus* ut versus mensura expleretur habereturque apophthegma iusto disticho expressum, id quod recte sensit Leo, cum ne Ribbeckio quidem vel Scholtio versus inepti in suspicionem venissent. Audio, audio clamores

oggannientium hos versus a Lactantio citari, qui antiquissimos Iuvenalis codices aetate longe antecesserit. Quid, lector? Putasne apud Vergilium legendum (Aen. 10,284) *audentes Fortuna iuvat; piger ipse sibi obstat,* quod sic legatur apud Senecam (epp. 94,28)? At multo prior aetate Seneca, quam libri Vergiliani, sint licet antiquissimi. Luce clarius est, hos duo Iuvenalis versus, paullulum (ut dixi) immutatos, iam Lactantii temporibus proverbii vice citari solitos esse, quos deinde fungus nescioqui ad finem saturae assuerit.

Unum restat, ut eis respondeam, qui flebili voce, "Ecquis erit finis?" quiritent. Quippe Friedlaenderi aetate omnia simplicia et aperta visa sunt, conclamantibus viris eruditis nullum versum apud Iuvenalem pro interpolato habendum esse. "At si tu tuique similes," inquient, "hic singulos versiculos, illic binos vel ternos, alibi vero integros locos poetae abiudicaveritis, nonne sic comminuendo thesaurum Iuvenalianum vilem redegeritis ad assem? Nam primum cum Housmanno quindecim versus obelisco notabis, deinde cum Clauseno triginta sex, mox cum Jahnio ad septuaginta, denique, quasi deletorio poculo in furorem versus, cum Ribbeckio tertiam fere operis partem quasi ab inepto rhetore confictam damnabis: mirum ni asseveres totum Iuvenalianum opus (id quod quidam festive de Homero dixit) non a Iuvenale, sed ab alio quodam eiusdem nominis compositum esse.". Quam argumentationem ita non irrideo, ut serio ei obviandum arbitrer. Equidem, si ratio et res ipsa permiserint, libentissime crediderim Iuvenalis saturas ita in libris exstare, ut ipse reliquerit. Contra tamen, ipsorum cogente librorum testimonio confitendum est eam fuisse poematum fortunam, ut cadente antiquitate et senescentibus litteris Romanis hic illic versiculi aliena manu conficti genuinis

insererentur (5,91; 6,126.307.558–559.614abc.632–633; 11,165–166, 14,1a; versus Bodleiani). Quin vel optimos libros hac labe infectos vidimus, ut Pithoeanum ad 9,134; 11,165–166; 14,229. Sequitur, ut sitne hic vel ille versus genuinus an nothus non semper ex librorum auctoritate, sed saepissime ex ipsius indole diiudicandum sit. Sic 3,281 *ergo non aliter poterit dormire. quibusdam,* 12,51–52 *non propter vitam faciunt patrimonia quidam, sed vitio caeci propter patrimonia vivunt,* ineptiores sunt quam quos Iuvenali quisquam hodie assignare velit, et eiusdem indolis sunt multi, quos apud Housmannum recte damnatos invenies. Sunt et alii non pauci versus, quos Housmannus Iuvenali obtrudere non dubitavit, Clausenus vero uncis commeritis inclusit, ut pateat viros in litterarum re publica iure laudatos de eiusmodi re dissentire potuisse. Nisbetio item de Clauseniana iudicium litterarium ferenti (*Journ. Rom. Stud.* 52, 1962, 232 sqq.) nimis patiens visus est vir clarissimus in versibus suspectis admittendis. Sic fit ut, si te ad huius vel huius vexilla contuleris, statim aliis indixeris bellum, neque media via tutus ire possis. In eo enim res vertitur, sitne is quo de agitur versus tam otiosus vel ita a loci sensu alienus, ut veri similius sit ab interpolatore quam ab ipso poeta conceptum esse; cui quaestioni non semper confidenter respondere licet. Vide enim 3,49–54:

> quis nunc diligitur nisi conscius et cui fervens
> aestuat occultis animus semperque tacendis?
> *nil tibi se debere putat, nil conferet unquam,*
> *participem qui te secreti fecit honesti.*
> carus erit Verri qui Verrem tempore quo vult
> accusarepotest.

Versus 51–52 satis commode abesse posse notavit Hermannus, quasi simplici et pedestri sermone idem dicerent

quod poeta eleganter et figurate expressit vv. 49–50 et 53–54. Equidem ita cum Hermanno facio, ut versus ab interpolatoris manu profectos esse opiner, sed infitias non iverim, neminem me repperisse qui eidem sententiae se addiceret.

Sequitur, quantum mea quidem opinio fert, ut qui versus apud Iuvenalianum corpus interpolati sint nemo scire possit, neque quaerendi ullus finis possit esse, nisi forte Clarius Apollo ex oraculo nos certiores facere velit. Scimus enim, ut singulos codices, ita ipsum archetypum aliquando mentiri, sed quibusnam locis mentiatur perfecte statuere non possumus. Si cui igitur liberiore quam decuit manu versus exturbasse visus ero, is (si hominem se esse meminerit) operis difficultati potius quam ingenii imbecillitati vel morum pravitati ad assignabit.

Si in virorum eruditorum coniecturis commemorandis nimius visus ero, sciant lectores arrogantiae metu me id fecisse; nam nimis confidere ingenio suo videtur, qui quid eruditi et illustres viri ante se censuerint silentio transire gaudeat. In quem errorem lapsus videntur tam magnus ille Housmannus, quam vir nostris temporibus eruditissimus Wendell Clausen, licet huic venia danda videatur, quod apparatum suum intra arctiores Bibliothecae Oxoniensis fines contrahendum esse aestimaverit. In hac re satis mirum videtur, si Housmannus amarissimis salibus in Friedlaenderum usus est, quasi ille de verborum Iuvenalianorum integritate securus virorum doctorum coniecturas omnino sprevisset; nam si ea quae Housmannus cum eis quae Friedlaender in apparatu exhibet diligenter examinare velis, reperies hunc multo plures coniecturas in annotationes suas recepisse. Quin immo, etiam cum de versibus quasi spuriis in suspicionem vocandis agitur, id quod apud Iuvenalem non opus esse pu-

taverat Friedlaender, Housmannus autem versus ad quattuordecim eiciendos ratus erat, in saturis I–VI (nam longius procedendum non opinabar) invenio illum versus 1, 14 et 157; 2,145; 5,91 et 146–148; 6,23.65, 69, 307, 311, 323, 335–336, 444, 632–633, 656b–647a notavisse quasi in dubium vocatos, de quibus hic in apparatu omnino tacet. Mihi igitur melius visum est clarorum virorum suspiciones in apparatum liberius admittere; nam primum quidem id quod mihi non omnino placuerit alii fortasse probabilissimum videbitur; deinde, si priorum eruditorum coniecturas silentio transieris, saepiuscule accidet, ut eandem emendationem posterioris aetatis eruditi excogitent sibique primis id placuisse putent, id quod in 1,85–86 accidit, cum de Scholtio eos versus damnante tacuissent editores, virque eruditus E. Harrison primo sibi eam suspicionem occurrisse putavisset; item in 10,41–42, quos nemini ante me spurios visos esse opinabar, nisi vir *ἐν τοῖς κριτικώτατος* M. Reeve amicissime admonuisset eidem illi Scholtio idem visum esse.

Sed si priorum eruditorum coniecturas exhibere et suam cuique auctori tribuere velis, paene infinitus labor adeundus est. Nam si editionem Jahnii primam adieris, licet nemo curiosius, quam ille, virorum doctorum suspiciones congesserit, multa reperies perperam relata, ut 2,93, ubi Gonsalii coniectura *factam* nihil aliud quam typothetarum mendum videtur; 2, 133, ubi Bentleius *colle* pro *valle* non ex coniectura, nisi egregie fallor, sed sphalmate mnemonico posuit; 3,37, ubi Cramerus non apud Iuvenalem legendum voluit *quum iubet*, sed eam lectionem scholiastae ante oculos fuisse suspicatus est; tribus locis Iohannis Dusaulx nomen in apparatu notatur, ubi ille nihil aliud quam Gonsalii coniecturas laudavisset; multaque alia reperies, quae illustris ille vir, licet doctrina et ingenii acumine praeditissimus, non accurate in-

specta vel notata profert. Et in hac re aequum puto editorem magnos labores subire velle, ut lectorem infinitis molestiis liberet, id est, in locis enotandis, ubi coniecturae primum prolatae et publici iuris factae sint. Egregium huius rei exemplum fuit in nomine cuiusdam Eremitae, quem ex Housmanno invenies ad sat. 3,48 *extincta ... dextra* voluisse, ubi libri *extinctae ... dextrae* habent, cuiusque nomen hic illic apud Iahnii apparatum invenies. Multa demum operis oleique iactura inveni Eremitam hunc, qui anno 1614 obisset, annotationes suas apud exemplar quoddam editionis Pithoeanae marginibus indidisse, quas anno demum 1823 Cramerus in scholiorum veterum editione publici iuris fecisset. Sequitur, ut hoc loco non Eremitae, sed Marklandi nomen ponendum fuerit, qui eandem emendationem anno 1727 in Silvarum Statianarum editione protulerit, aliisque locis pro Eremitae nomine reducenda fuerint aliorum eruditorum nomina, qui suspiciones suas eo tempore publici iuris fecissent, quo Eremitae annotationes manu scriptae nondum in lucem prolatae erant. Pauca aestimo dicenda de Guieti coniecturis, quas adhuc lectoris oculis non universas obtulerint editores, sed in eis locis adhibuisse gavisi sunt, ubi docti viri nomen editori subodiosi supprimi potuerit, ut 8,6–8, quos versus prius damnaverat Guietus quam Jachmannus. Primum quidem hoc dicam, ne decimam quidem partem coniecturarum Guietianarum cuilibet sani iudicii probari posse, ut cum 1,162–171 pro spuriis habet, vel cum et 10,365–366 et 14,315–316 aeque insiticios aestimat; deinde ne in eis locis quidem, ubi recte sapere videatur, ullam argumentationem adhiberi, qua recte se iudicare vincat, sed tantummodo 'insititius esse videtur' notari, id quod mirandum non est in notis post Guieti mortem ex librorum eius marginibus raptim collectis. Itaque, si quid primus quidem Guietus coniecit,

alius vero postea, cui id fuerit ignotum, doctis rationibus probavit, et Guieti et posterioris viri docti nomina adhibui, ut '6,65 deleverunt Guietus et Nisbet'. Sed antequam hunc locum de coniecturarum auctoribus commemorandis reliquero, dicendum opinor, idque disertis verbis, inter nostrae aetatis editores magnopere laudandum esse Martynum, qui quoties docti viri divinationem in apparatu laudat, in appendice docet quo loco, quo anno, quoque sub titulo publici iuris ea facta sit.

In apparatu construendo ab eo more, quem in Macrobio et Martiano edendo secutus sum, omnino recessi; nam in illorum verbis recte constituendis ante omnia opus erat ut qui libri essent optimi invenirem, eorumque lectiones meis oculis enotarem. Quod vero ad Iuvenalem attinet, qui libri optimi sint iamdudum exploratum habemus, lectionesque eorum enotarunt viri doctissimi et oculatissimi. Id itaque facere studui, ut ex copiis, quas congessere Cluasenus, Housmannus, Knochius, Friedlaender, Martynus, apparatum criticum his legibus componerem: primum, ut si quis eorum diserte aliquid affirmavisset, de quo alius taceret, affirmanti potius quam tacite innuenti crederem; denique ut lectorem neque nimiis copiis obruerem (id quod in editione Knochiana factum doleo), neque ea codicum scientia fraudarem, qua in iudicandi munere opus esset.

LIBRI ADHIBITI

P siglo indicatur liber Pithoeanus seu Petri Pithoei, qui eum in Iuvenale edendo Lutetiae Parisiorum anno 1585 primus adhibuit. Hic liber, cum diu latuisset, apud bibliothecam scholae medicae Montepessulanae demum repertus est, ubi numero insignitur CXXV; scriptus est in mo-

nasterio S. Nazarii Laureshamensi, quae urbs nunc Lorsch appellatur, saeculo p. Chr. natum nono. Continet (f. 2r–13r.) Persium totum, (f. 13v–79v.) Iuvenalem totum cum scholiis. In hoc libro (ut superius dixi) verborum memoria sincerior videtur quam in vulgaribus libris, simul tamen multa notabis omissa, praesertim in versuum fine, ut 1,35 *palpat*; 6,9 *magnis*; 8,2 *vultus*; 9,82 *nullum*; 9,97 *ferrum*; 12,8 *ubera matris*; 12,111 *nulla per Histrum,* vel manifeste perperam lecta, ut 4,83 *terra*; 4,88 *locuturis*; 6,571 *dantur temporalia lucra,* aliaque quae dat Housmannus p. xx. Hunc librum contulerunt Bertinus, Buecheler, Hosius, Clausen aliique.

A littera notatur Monacensis 408, saeculo undecimo exaratus, qui f. 1r–81r exhibet Iuvenalem totum. Contulerunt Hosius, Knoche, Martyn.

F signatur codex olim Thuaneus, nunc Parisinus 8071, exeunte nono saeculo scriptus, qui ff. 2r–23r habet Iuvenalem 3,317–9,39 et 10,1–16,60. Contulerunt Jahn, Knoche, Martyn.

G siglo indicatur liber Parisinus 7900, seculo IX–X conscriptus, qui ff. 95r–111r exhibet Iuvenalem totum. Contulerunt Knoche, Clausen, Martyn.

H littera insignitur liber olim Cluniacensis, nunc Parisinus 9345, saeculo undecimo scriptus, qui continet ff. 105r–162r Iuvenalem totum et 162r vitam Iuvenalis. Contulerunt Knoche, Clausen; imaginem f. 129v reperies apud E. Chatelain, Paléographie des classiques latins, tab. cxxxv.

K notatur codex Laurentianus 34.42, saeculo undecimo exaratus, ubi totus Iuvenalis exhibetur una cum vita. Contulerunt Hosius, Knoche. Specimen scripturae dat idem Chatelain tab. cxxiv b.

L siglum habet Leidensis B.P. 82, saeculo decimo scrip-

tus, qui continet f. 14v–87r Iuvenalem totum. Contulerunt Hosius, Clausen, Martyn.

O littera signatur Oxoniensis Bodl. Canon. Class. Lat. 41, litteris quas Langobardicas vocant saeculo vel undecimo exeunte vel duodecimo ineunte scriptus. Continet hic liber praeter Iuvenalis genuina etiam eos versus post 6,365 et post 6,373 positos quos nothos aestimavere Buecheler, Axelson, Knoche, Jachmann, genuinos vero Housmannus et omnes qui fulminantis magnam manum Housmanni tremebant. De horum versuum indole deque tota illa hypothesi qua excidisse atque uno tantum codice servari potuisse aestimandi sint satis dixi Mnemos. 42, 1989, 441–468, neque hic crambe repetita te occidam, lector. Contulerunt hunc codicem multi, nuperrime vero Clausen et Martyn, qui priores rem haud accurate egisse conqueritur praef. xvi.

R littera datur libro Parisino 8072 saeculi decimi, in quo non totus Iuvenalis apparet, sed f. 94v–97v. sat. 1,1 ad 2,66; f. 98r–105v sat. 5,98 ad 6,437, denique f. 106r–113v sat. 3,32 ad 5,97. Hic codex multas habet lectiones cum Pithoeano communes, unde dolendum est malevolo Fortunae ludibrio maiorem eius partem periisse. Contulerunt Stuart, Knoche, Martyn.

T liber apud Collegium Sacrosanctae Trinitatis Cantabrigiae conservatur. Scriptus est saeculo decimo habetque non solum Iuvenalem (f. 1r–92r) sed etiam Persium (f. 94v–110r) et Persii vitam (f. 93v.). Contulit vir optime de Iuvenale meritus Wendell Clausen et post eum cl. Martynus.

U littera notatur Vaticanus Urbinas 661 saeculo undecimo ineunte scriptus, qui Iuvenalem totum et vitam Iuvenalis exhibet. Contulere Knoche, Martyn.

V littera a Clauseno datur codici Vindobonensi 107, exeunte saeculo nono scripto, quem Knoche et Martyn

littera *W* notant, Housmannus vero compendio *Vind.* significat, dum apud Martynum *V* significat Leidensem Vossianum F 64. Vix tertiam Iuvenaliani operis partem continet, cum 2,60–106 omittat, deinde post 5,96 desinat. Multas lectiones cum *P* et *R* communes habet, ut 1,67 *falsi.* 70 *rubeta,* 2,5 *horum.* 30 *revocabat,* 3,67 *trechedipna.* 186 *amatum.* 215 *accurrit.* 224 *paratur.* 322 *auditor.* Librum minime spernendum contulerunt A. Goebel (*Sitzungsb. d. kais. Akad. d. Wiss. in Wien, phil.-hist. Kl. 1859, pp. 37–75*) et Knoche.

Z denique litteram codici Mus. Britt. Add. 15600 dedit Clausen, qui primus contulit, denuo vero contulit Martyn. Saeculo exaratus vel nono exeunte vel decimo ineunte continet Iuvenalem totum.

Praeter hos libros, qui singulis litteris notantur, alios quosdam fontes habemus, unde verborum poetae notitia aliqua hauriri potest, quos vocibus dimidiatis significare soliti sunt editores.

Arov. notantur scidae Arovienses, fragmenta libri decimo seculo conscripti, quem in frusta quondam discerpsere monachi ut involucra chartarum inde haberent. In his quinque scidis reperiuntur sat. 2,148–155; 3,6–13 et 35–92; 6,136–193 et 252–368 et 427–484; denique 7,57–192. Notat Housmannus hunc librum, si formam spectes, cum Pithoeano arctissime cognatum fuisse, cum ambo habeant in singulis paginis versus vicenos novenos et in iis Arov. paginis, quae integrae servantur, eosdem versus habeas, quos in Pithoeani paginis invenimus. Quod ad lectiones spectat, Pithoeano cognatissimus videtur, ut 6,193 *niobene*; 295 *indos*; 7,89 *gidos vastum.* Scidas has littera Q notavere Knoche, Martyn; ego malui cum Housm. et Claus. 'Arov.' appellare. Post alios contulit Clausen.

Ambr. in apparatu notat duas scidas codicis Ambro-

siani saeculo sexto scripti, quibus continentur sat. 14,250–256. 268–291. 303–319. Haec fragmenta primus publici iuris fecit R. P. Angelus Ratti, *Rendiconti d. Ist. Lomb. di Scienze e Lettere* 42, 1901, 961–969. Lectiones eius cum Pithoeano potius quam cum vulgaribus conspirant, ut notat Housmannus, Class Pap. 814–815.

Ant. notatur membrana Aegyptiaca anno fere 500 scripta, sat. 7,149–198 exhibens, quae (id quod in tam casco teste mirandum forsitan videatur) nunc cum Pithoeano eiusque cognatis consentit, nunc cum vulgaribus libris. Publici iuris fecit vir papyrologiae peritissimus C. H. Roberts, *Journal of Egyptian Archaeology* 21, 1935, 199–209.

Aur. compendium significat duas scidas olim adhibitas in involucrum codicis Aurelianensis 295 faciendum. Quae scidae licet ipsae iamdiu perierint, tamen atramentum, quo exaratae erant, ita in libri involucro ligneo insedit, ut adhuc, licet difficillime neque a quoquam nisi in his rebus exercitatissimo, quodammodo legi possint. Mediante nono saeculo scriptum fuisse illum codicem deperditum opinantur A. P. McKinley et E. K. Rand, qui illas lectiones apud Studia Harvardiana anni 1938, pp. 229–263, publici iuris fecerunt.

Bob. compendio notatur fragmentum Bobiense, i.e. unum folium codicis palimpsesti Bobiensis, nunc Vaticani 5750, quod saeculo quarto scriptum olim putabant viri docti, nunc vero sexto saeculo tribuitur docente viro in his rebus peritissimo E. A. Lowe (Cod. Lat. Antiquior. I, p. 11). Praeter poetae verba (14,324–15,43) habuit hic codex scholia quae cum Pithoeanis videntur cognata. Ex libro tantae antiquitatis multa fortasse ad Iuvenalem emaculandum exspectanda erant, sed nunc cum Pithoeano, nunc cum vilioribus consentiens vix quicquam ad verba poetae emendanda confert, nisi quod ostendit iam

apud veteres corruptam fuisse verborum memoriam corruptelasque varias ab aliis in alios libros serpere solitas fuisse. De hoc fragmento doctissime disputat V. Cl. Paulus Wessner in scholiorum editione pp. vi–vii.

lem. significat lectiones lemmatum scholiorum, quae in Pithoeano et Sangallensi reperiuntur, de quibus fuse mehercle et erudite disserit Wessner iam supra laudatus.

Mico nomen fuit monacho cuidam monasterii S. Richarii, qui anno c. 835 opus prosodiacum confecit, in quo versus fere triginta ex Iuvenale laudavit, videlicet 1,32. 139; 3,204.229.242; 5,29,32; 6,99.156.246.260.373.452; 7,136.177; 8,197.229; 9,109; 10,172.178.331; 12,34.128; 13.36.91.137; 14,122.209.299; 15,25.93.124; 16,46. Liber ille, unde has miseras reliquias protulit, videtur cum P cognatus fuisse. Miconis opus, si forte quaesiveris, reperies apud Monumenta Germaniae Historica in Poetis Latinis Aevi Carolini, part. 3, fasc. 1, edente Ludovico Traube.

Probus, qui saepiuscule Vallae Probus nominatur, auctor fuit commentarii in Iuvenalem, quem ad manum habuit Georgius Valla cum Iuvenalem edebat anno 1486, de quo iam ante pauca dixi. Certum quidem est, non omnia Vallam exscripsisse quae apud Probum reppererit; utrum optima fide Probi annotationes rettulerit, an potius aliqua suo marte addiderit, adhuc quaeritur. Probi annotationes, ut a Valla relatae sunt, reperies apud scholia a doctissimo Wessnero edita.

Sang, notatur florilegium Sangallense in libro Sangall. 870, ubi f. 3–15 reperiuntur versus 459 ex diversis poetis Latinis desumpti, inter quos 280 ex Iuvenale decerpti. De hoc libro fusius idem Wessner p. xi ss. Videtur *Sang.* potius cum Pithoeano quam cum vulgaribus consentire, ut 1,47 *et*; 3,210 *aerumnae est*; 4,217 *excidet*; 6,156 *bernices.* 373 *damno tantum*; 7,73 *alveolos.* 136 *illi.* Versus Iuvenaliani in hoc florilegio citati sunt 1,10.32.47.65.73.75.101.

139; **2**,10.85.95.103.109.170; **3**,17.55.63.76.86 (bis). 115. 173.210.214.228 (bis). 229.237.265 (bis). 278 (bis). 289.294.296.312; **4**,64.81.108.116.127.143.153; **5**,32.42 (bis). 45.59.81.90.105.127 (bis). 143.145.151; **6**,39.68. 80.89 (bis). 91.110 (bis). 155–156.158.185.186–187.195. 242.243.259–260.278.298–301.326.343.352.356 (bis). 366–367.372.373 (bis). 376 (bis). 378.437.438.460.472. 478–479. 514. 516. 543–544. 581. 639; **7**,15. 31. 52. 73. 83. 90. 92. 101. 110. 136. 142. 177. 197. 212. 214–215. 221; **8**,50. 66–67. 78. 87–88. 118. 126. 133–135. 145–146. 148. 155. 174–175.190.197.201.211.237.248 (bis). 253–254.259; **9**,9.11.52.58.92.104–105.129.140; **10**,12.14.22.33–35.39 (bis). 64.91 (bis). 110.114.128.132.147.158.168–169.172. 198–200.211.223 (bis). 227–229.247 (bis). 256.262.268. 294.317.338.349.356–359; **11**,4.27.36–37.43.46.69.79.80. 99.101.106.125–126.138–139.153; **12**,102.104.119.128 (bis). 130; **13**,36.90–91.96.110.122.137.139.151–152. 167–173; **14**,1. 99. 122. 139. 146. 197. 208. 229. 255. 260. 263. 286. 287. 290. 299. 319–321; **15**,26. 49. 70. 124–125. 159–164.165 (bis). 166.167–173; **16**,41. Huius libri lectiones primus evulgavit Chr. Stephan in Mus. Rhen. 1885,263–282; denuo contulit vir eximius W. Clausen, qui nonnulla enotavit, quae Stephani laudabilem diligentiam subterfugerant.

schol. compendio significantur scholia, quae in Pithoeano et in ff. 20–163 libri Sangallensis reperiuntur. De horum scholiorum indole fusius disputandum non arbitror: illud dixisse sufficiat, pauca quaedam in iis genuinae scientiae vestigia repperiri, multa ineptae diligentiae, dum homines misere indocti ea, quae ex verborum contextu hariolati sunt, quasi certa et explorata proferunt. Id tamen aliquando proficui est, quod divinare possumus scholiastae ante oculos fuisse diversam quandam lectionem ab ea, quam nunc in libris Iuvenalis invenimus.

Videbis, lector, misero quodam casu omnes eos libros, qui cum optimo Pithoeano arcte cognati videntur, non integros servari, immo saepissime nisi in miseris fragmentis ad nos non pervenisse, dum vulgarium codicum totas legiones habemus. Itaque editoribus fere placuit ut ex una parte *PRV* Arov. Sang. una cum scholiis et lemmatibus ponerent, ex altera *AFGHKLOTUZ*, quem morem sequendum esse duxi. Stemma vero codicum vel schema cognationis dirigi posse non opinor, licet in hac re dissentientem habeam doctissimum virum Martynum, qui mathematica et quidem subtilissima ratione idipsum facere conatus est. Rem acu tetigisse mihi videtur Housmannus, cum negat in eiusmodi auctoribus, qui et apud veteres et media quam dicunt aetate lectitati, descripti, citati sint ullas codicum familias statui posse. Sic etiam fit ut bonas lectiones sine dubio ex coniectura ortas hic illic inveniamus, ut 2,106 *solium* in Vat. Reg. 2029, quod coniecit Herwerdenus; 1,108 *Assyria ... urbe* V, quod coniecit H. Valesius; 3,157 *nitidus* Lond., quod coniecit Marklandus; 3,218 *hic Asianorum VO*, quod coniecit Rupertius; 4,67 *sagina* Vat. Reg. 2029, sicut coniecit Buecheler; 6,188 om. Gaybacensis II, versum damnavit Barthius. Hinc sequitur, opinor, ut si quis veterum eruditorum, utputa Barthius vel Vossius vel Scioppius, bonam quandam lectionem se in vetere suo codice invenisse affirmet, non statim indignari debeamus neque de impudentissimo nebulone librorum lectionem ementiente oratiunculas habere; nam inter tot milia hominum qui Iuvenalis saturis delectabantur abesse non poterant qui difficiliores locos coniectura sanare temptarent; quas coniecturas olim extare potuisse in libris nunc deperditis quis negabit? Quali vero ratione ex omnibus his testibus optima lectio elicienda sit, doctrina immensa, ingenio acutissimo, eloquentia nimis mordaci disseruit Housmannus in prolegomenis quae edi-

tioni suae an. 1905 praefixit, a cuius rationibus in eo tantum dissentio, quod corruptiora ad nos Iuvenalis verba pervenisse opinor, quam illum opinor concessurum fuisse, qua ratione inductus multo plures quam ille coniecturas in verborum contextum admisi.

Improbe certe fecerim, ni gratias eis egerim, qui haec studia mea vel consilio vel auxilio vel aliqua bona re adiuverint. Quorum primum locum tenet R. G. M. Nisbet, qui innumeris epistulis per decem annos involantibus benigne respondit et latius quam decuit exorbitantem velut quibusdam sapientiae frenis moderari saepissime conatus est. Quem si primum nominavero, vereor ne Christiani Gnilkae iniuria id fecerim, qui non solum ex longinquo epistulis me vel deficientem sustentavit vel errantem in saniora consilia reduxit, sed etiam in patriam suam invitavit et in ipsos lares suos, incommodum sane hospitem et Theotisco sermone vix tria verba misere balbutientem, benignissime suscepit. Ottoni quoque Zwierlein gratissimi animi testimonium ferendum est, qui me cum Bonnam invitasset, in Mozartiano suo non solum Cereris mihi Bacchique munera sed etiam Musarum dona ita largitus est, ut pinguior Hispulla, Palaemone doctior inde discedere mihi viderer. Viro clarissimo W. D. Lebek Coloniensi gratiae agendae sunt, quod me non indignum putaverit, qui in illa quoque urbe venerabili inter collegas suos atque discipulos pauca de Iuvenale dissererem. Aeque grato animo commemorandi sunt viri eruditi Cantabrigienses, qui me in urbe sua commorantem consortio et hospitio dignati sunt, inque primis Ericus Handley, per dena fere lustra eiusmodi amicitiae vinculo mihi coniunctus, quod dirimere non possint vel vastissima marium terrarumque intervalla. Neque praetermittendos censeo illustres viros qui bibliothecis acade-

micis Cantabrigiensi et Heidelbergensi praesident, cum illi mihi thesauros suos, saeculorum spoliis ditissimos, libenter aperuerint, hi in Eremita illo investigando summis me opibus atque industriis adiuverint.

Iam dimittendus es, lector, ut D. Iunii Iuvenalis saturas perlegas. Omnino tibi placitura quae feci sperare non audeo, nam ne mihi quidem contigit, ut id quod speraveram efficerem; sed sol inclinat et iamdudum mihi commoto conto Charon annuit, ut propter brevitatem vitae imperfectum relinquam opus, cui fortasse recte expediendo ne integra quidem vita sufficeret. Quasi cursor igitur defessus, horum studiorum lampada tibi, lector benigne, ceterisque Iuvenalis studiosis trado.

Kalamundae apud antipodas MCMXCV Iacobus Willis

TABVLA SIGLORVM COMPARATIVA

In hac et in Clauseniana	Housman	Knoche	Martyn
A Monacensis 408	*A*	*A*	*A*
F Parisinus 8071	*F*	*F*	*F*
G Parisinus 7900A	*G*	*G*	*G*
H Parisinus 9345	–	*H*	*H*
K Laurentianus 34.42	–	*K*	*K*
L Leidensis b. p. 82	*L*	*L*	*L*
O Oxoniensis	*O*	*O*	*O*
P Pithoeanus	*P*	*P*	*P*
R Parisinus 8072	–	*R*	*R*
S scholiorum lemmata	*S*	*S*	*S*
Sang. Sangallensis	Sang.	*C*	*C*
T Cantab. Trin. O IV 10	*T*	*T*	*T*
U Vatic. Urbinas 661	*U*	*U*	*U*
V Vindobonensis 107	Vind.	*W*	*W*
Z Lond. BM add. 15600	–	*Z*	*Z*

SATVRA PRIMA

Semper ego auditor tantum? numquamne reponam
vexatus toties rauci Theseide Cordi?
impune ergo mihi recitaverit ille togatas,
hic elegos? impune diem consumpserit ingens
5 Telephus aut summi plena iam margine libri
scriptus et in tergo necdum finitus Orestes?
nota magis nulli domus est sua quam mihi lucus
Martis et Aeoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani; quid agant venti, quas torqueat umbras
10 Aeacus, unde alius furtivae devehat aurum
pelliculae, quantas iaculetur Monychus ornos,
Frontonis platani convulsaque marmora clamant
semper et assiduo ruptae lectore columnae.
expectes eadem a summo minimoque poeta.
15 et nos ergo manum ferulae subduximus, et nos
consilium dedimus Sullae, privatus ut altum

PRV AGHKLOTUZ

1 audito P^1 | numquine $P^2 H$ || 2 cordi *P lem. Serv. ad A. 11,458* codri *RVΦ Serv. ad Aen. 1 pr. 4,2 Thil.* || 3 cantaverit *Heinrich ex cod. Hauniensi* | togatam *non male* [*Sergius*] *gramm.* IV 524,5 || 6 in tergo] integro *V* || 7 lucus] luctus *Flavius Ptolemaeus* || 8 vicinum] inclusum *N. Heinsius* (*sed memoriae lapsu, ni fallor*) || 9 ulcani *V* | umbras] undas *vel* aestus *Wernsdorf* || 10 alius *om. Sang.* || 13 et] ego $P^2 H^2 R^2$ (*ex v. 1*) || 14 *damnavit Dobree* || 16 syllae dedimus *AL et schol. Stat.*

dormiret. stulta est clementia, cum tot ubique
vatibus occurras, periturae parcere chartae.
Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
20 per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus,
si vacat ac placidi rationem admittitis, edam.
cum tener uxorem ducat spado, Mevia Tuscum
figat aprum et nuda teneat venabula mamma;
patricios omnis opibus cum provocet unus
25 quo tondente gravis iuveni mihi barba sonabat.
cum pars Niliacae plebis, cum verna Canopi
Crispinus, Tyrias umero revocante lacernas,
ventilet aestivum digitis sudantibus aurum,
nec sufferre queat maioris pondera gemmae,
30 difficile est saturam non scribere. nam quis iniquae
tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se,
causidici nova cum veniat lectica Mathonis
plena ipso, post hunc magni delator amici
et cito rapturus de nobilitate comesa
35 quod superest, quem Massa timet, quem munere palpat
Carus et a trepido Thymele summissa Latino;
cum te summoveant qui testamenta merentur
noctibus, in caelum quos evehit optima summae
nunc via processus, vetulae vesica beatae?

PRV AGHKLOTUZ

17 tot] totus *V* || **19** libeat potius *LU* || **21** ac P^1 *lem. RO* et *VΦ* | placiti *Guietus* || **24–25** *om.* $G^1HK^1OT^1Z$, *secludebat Knoche* || **25** iuvenis *PR* || **26** pars] faex *Flavius Ptolemaeus* | canobi RG^2H^1 || **28** aestivo ... auro *N. Heinsius* || **29** *versum secl. Nisbet* || **32** lecticam ad bonis *libri aliquot Servii ad Aen. 1,213* || **35** palpat *om.* P^1 || **36** et] ut *Heinrich* || **37–41** *ante 55 collocat Courtney* || **38** noctibus] non tibi P^1 | evehit] vehit *V* || **39** beatae] beataest *U*

40 unciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem,
partes quisque suas ad mensuram inguinis heres.
accipiat sane mercedem sanguinis et sic
palleat ut nudis pressit qui calcibus anguem
aut Lugudunensem rhetor dicturus ad aram.
45 quid referam quanta siccum iecur ardeat ira,
cum populum gregibus comitum premit hic spoliator
pupilli prostantis et hic damnatus inani
iudicio? quid enim salvis infamia nummis?
exul ab octava Marius bibit et fruitur dis
50 iratis, at tu victrix, provincia, ploras.
haec ego non credam Venusina digna lucerna?
haec ego non agitem? sed quid magis? Heracleas
aut Diomedeas aut mugitum labyrinthi
et mare percussum puero fabrumque volantem,
55 cum leno accipiat moechi bona, si capiendi
ius nullum uxori, doctus spectare lacunar,
doctus et ad calicem vigilanti stertere naso;
cum fas esse putet curam sperare cohortis
qui bona donavit praesepibus et caret omni
60 maiorum censu, dum pervolat axe citato

PRV AGHKLOTUZ

40 habent G^1 || **42–44** *del. Knoche, Helmbold, non necessarios esse iam Marklandus notaverat, post 36 collocat Courtney* || **42** mercedes inguinis *Martyn* || **43** qui pressit *RL* || **44** lugudunensem P^1 lugd. *cett.* || **46** premat *VK* || **47** pupillae *coni. Rupertius* | prostrantis *PR Sang.* L^1 plorantis *Plathner* et P^1O at $P^2RV\Phi$ || **50** *dist. Housman* || **52** heracleas P^1R^1V *lem.* herculeias Φ || **53** aut] au P^1V^1 | diomedias V^1H^1 | labyrinthi *PGV lem.* *laberinthi vel* laborinthi Φ || **54** et] aut *Marklandus* || **55** si] sit *PR* sic V^1 || **58** spectare A^1 *et Heinrich ex cod. suo*

Flaminiam puer Automedon? nam lora tenebat
ipse, lacernatae cum se iactaret amicae.
nonne libet medio ceras implere capaces
quadrivio, cum iam sexta cervice feratur
65 hinc atque inde patens et nuda paene cathedra
et multum referens de Maecenate supino
signator falsi, qui se lautum atque beatum
exiguis tabulis et gemma fecerit uda?
occurrit matrona potens, quae molle Calenum
70 porrectura viro miscet sitiente rubeta
instituitque rudes melior Lucusta propinquas
per fama et populum nigros efferre maritos.
aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum
si vis esse aliquid. probitas laudatur et alget.
75 criminibus debent hortos, praetoria, mensas,
argentum vetus et stantem extra pocula caprum.
quem patitur dormire nurus corruptor avarae,

PRV AGHKLOTUZ

61 *post* puer *distinguebat Marklandus* || **62** cum] dum *A* || **63** licet *Guietus* || **64** quadrivio *P¹R* quadruvio *VΦ* || **66** supino] sigillo *DeJonge* || **67** falsi *P¹RV* (*sicut coniecerat Marklandus*) falsum *G¹* falsa *G²* falsus *coni. Ruperti* falso *Φ* (signato falso *Madvig*) || **68** fecerat *AG¹LU* || **69** occurrat *Heinrich* (*sicut iam Marklandus in msto*), *interrogationis signo post* maritos (*72*) *posito* || **70** virum *Plathner* | sitienti *Z* | rubeta *an* rubetam *fuerit in P¹ dubitari potest;* rubeta *certe RV, sicut coniecerat Plathner* || **71** lucusta *P¹RGH lem,* locusta *cett. et schol.* || **73–76** *post* **68** *ponebat Ribbeck; non ad rem esse hos versus iam Marklandus notaverat; duplicis recensionis vestigia dispiciebat Teuffel* || **73** carcere] parcere *PR Sang.* || **74** aliquis *recc. aliquot, quod praetulit Rupertius* || **75–76** *fortasse delendos censuit Knoche*

quem sponsae turpes et praetextatus adulter?
si natura negat, facit indignatio versum
80 qualemcunque potest, quales ego vel Cluvienus.
Ex quo Deucalion nimbis tollentibus aequor
navigio montem ascendit sortesque poposcit
paulatimque anima caluerunt mollia saxa
et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas,
85 *quicquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,*
gaudia, discursus, nostri farrago libelli
ecquando uberior vitiorum copia? quando
maior avaritiae patuit sinus? alea quando
hos animos? neque enim loculis comitantibus itur
90 ad casum tabulae, posita sed luditur arca.
proelia quanta illic dispensatore videbis
armigero! simplexne furor sestertia centum
perdere et horrenti tunicam non reddere servo?
quis totidem erexit villas, quis fercula septem
95 secreto cenavit avus? nunc sportula primo
limine parva sedet turbae rapienda togatae.

PRV AGHKLOTUZ

78 sponsi *Schurzfleisch* || **79** versus qualescunque *recc. aliquot* || **80** Cluvianus *Mackay* || **81–84** *post* **87** *collocare voluit Pinzger* || **82** ascendet *U* || **83** animas *GH²LO¹* *unde* paulatim inque animas *voluit N. Heinsius* || **85–86** *secl. Scholte* || **85** agit *satis inepte Damsté* | timor *om. P¹* || **86** nostri farrago libelli est *PRAOU* nostri farra libelli *V* nostri est farrago libelli *Φ* || **87** ecquando *Scholte* et quando *libri* || **88** *om. K¹T¹Z¹* || **89** hos] haec *Heineccius* | ioculis *PR* || **90** ad] at *PR* || **91** illis *V* || **95** avum (*gen. pl.*) *Marklandus* || **96** sedet] datur *Doellen, Scholte, qui tamen* crepat *maluit*

ille tamen faciem prius inspicit et trepidat ne
suppositus venias ac falso nomine poscas.
agnitus accipies. iubet a praecone vocari
100 ipsos Troiugenas, nam vexant limen et ipsi
nobiscum. 'da praetori; da deinde tribuno!'
sed libertinus prior est: 'prior' inquit 'ego adsum.
cur timeam dubitemve locum defendere, quamvis
natus ad Euphraten, molli quod in aure fenestrae
105 arguerint, licet ipse negem? sed quinque tabernae
quadringenta parant. quid confert purpura maior
optandum, si Laurenti custodit in agro
conductas Corvinus oves, ego possideo plus
Pallante et Licinis?' expectent ergo tribuni;
110 vincant divitiae; sacro ne cedat honori
nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis,
quandoquidem inter nos sanctissima divitiarum
maiestas, etsi funesta pecunia templo
nondum habitat, nullas nummorum ereximus aras,

PRV AGHKLOTUZ

97 ille] ipse *Weidner* || **98** veniat *V* | ac *PRAU* et *VΦ* || **99** accipiens *V* accipias *R¹AHU¹Z* | pretore *R* | vocari] citari *U* || **100** ipsi] illi *KL* ipsum *V* isti *recc. aliquot* || **102** ego] et ego *P¹* et *O* || **104** euphratem *K* | molli *Marshall* molles *libri* || **106** quadraginta *HU* | purpura maior *P¹RVΦ* purpurmaior *A* purpuram actor *G¹* purpurae amator *P²G²K* purpuram maior *ut vid. L¹* purpura maiorum *U* || **108** conductus *U¹* *sicut coniecerat Scholte* (*cf. Prudent. perist. 10,193 'conductus idem pavit alienum pecus'*) || **110** ne *P¹RH¹OT* *nec VΦ* || **112–116** *delebat Guietus* || **113** pecunia] pecua *R* || **114** habitat *P¹RVOT lem. schol.* habitas *Φ, quod praetulit Knoche*

115 ut colitur Pax atque Fides, Victoria, Virtus,
quaeque salutato crepitat Concordia nido.
sed cum summus honor finito computat anno
sportula quid referat, quantum rationibus addat,
quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc est
120 et panis fumusque domi? densissima centum
quadrantes lectica petit, sequiturque maritum
languida vel praegnans et circumducitur uxor.
hic petit absenti nota iam callidus arte
ostendens vacuam et clausam pro coniuge sellam.
125 'Galla mea est' inquit, 'citius dimitte. moraris?'
profer, Galla, caput. noli vexare; quiescit.'
Ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum:
sportula, deinde forum iurisque peritus Apollo
atque triumphales, inter quas ausus habere
130 nescioquis titulos Aegyptius atque Arabarches,
cuius ad effigiem non tantum meiere fas est.
* * * * * * * * * * * * * * * *
vestibulis abeunt veteres lassique clientes

PRV AGHKLOTUZ

115 atque] firma *R* *unde* Fama *Postgate, sed de Famae deae templo nihil narratur* cana *De Jonge* || **116** quaeque ... Concordia] cuique ... crotalistria *Heinrich non adeo feliciter* || **117** computatet *V* | *post 117 leguntur 2,6–12 in U, sed erasi* || **123** notam *V* notae *deinde* artis *Ruperti* || **124** ostentans *Schurzfleisch ex Gaybac. 1* || **126** profert *VG*[1] | quiescaet *P*[1] quiescat *fort. legendum* || **127–131** *delevit Jahn, post sat. 3,130 collocabat Hirschfeld* || **130** aegyptios *V* | atque] aut *L* | Alabarches *Cuiacius* || **131** non tantum] tantum non *Scaliger* | mengere *P*[1] megere *P*[2] meniere *R* meire *codices Prisciani gramm. II 494,17, unde* meiiere *suo more Housman* | *post 131 lacunam statuit Housman* || **132** vestibulas *RG*[1]

votaque deponunt, quanquam longissima cenae
spes homini; caules miseris atque ignis emendus.
135 optima silvarum interea pelagique vorabit
rex horum vacuisque toris tantum ipse iacebit.
nam de tot pulchris et latis orbibus et tam
antiquis una comedunt patrimonia mensa.
nullus iam parasitus erit. sed quis ferat istas
140 luxuriae sordes? quanta est gula quae sibi totos
ponat apros, animal propter convivia natum!
poena tamen praesens, cum tu deponis amictus
turgidus et crudum pavonem in balnea portas.
hinc *subitae mortes atque intestata senectus*
145 *et* nova nec tristis per cunctas fabula cenas;
ducitur iratis plaudendum funus amicis.
Nil erit ulterius quod nostris moribus addat
posteritas: eadem facient cupientque minores.
omne in praecipiti vitium stetit: utere velis,
150 totos pande sinus. dices hic forsitan, 'unde

PRV AGHKLOTUZ

134 *versum delebat Guietus,* longissima *quasi n. pl. cum* vota *accipiens* | caulis P^1 *R V* || **135** optima] praemia *Nisbet* || **136** stantum *Ellis infelicissime* || **137–138** *del. Ribbeck, non ad rem esse iam Marklandus notaverat* || **137** latis] lautis *V* || **139** feret K^1 *Z* | ista *Sang.* || **140** gyla *V* || **141** ponat *U* || **142** deponit *V* || **143** crudum *VΦ Phocas gramm. V 426,24 et schol. Pers. 3,98* crudus *ex mera perseveratione* P^1 *RH* || **144–145** subitae ... it *del. Nisbet, ambos versus damnaverat Knoche* || **144** infestata *Madvig* intemptata *Corelli* intempesta *Weidner* || **145** et *PVΦ* it *A*$K^2L^2U^2$ || **146** iratus *R* V^1 | pladendum *V* || **148** facient cupientque *PRAG LT* cupient facientque *VΦ* || **149** stetis P^1 *R* || **150** dices P^1 *RO* dicat V^1 dicas *Φ* | hic] mihi *O* huic *recc. aliquot*

ingenium par materiae? unde illa priorum
scribendi quodcumque animo flagrante liberet
simplicitas? "cuius non audeo dicere nomen?
quid refert dictis ignoscat Mucius an non?"
155 pone Tigellinum, taeda lucebis in illa
qua stantes ardent qui fixo gutture fumant,
⟨quorum informe unco trahitur post fata cadaver⟩
et latum media sulcum deducit harena.'
qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
pensilibus plumis atque illinc despiciat nos?
160 'cum veniet contra, digito compesce labellum:
accusator erit qui verbo dixerit "hic est."
securus licet Aenean Rutulumque ferocem
committas; nulli gravis est percussus Achilles
aut multum quaesitus Hylas urnamque secutus.
165 ense semel stricto quotiens Lucilius ardens

PRV AGHKLOTUZ

153 non] nunc *Flavius Ptolemaeus* | audent *Graevius,* audes *Marklandus* | dicere] hiscere *Marklandus* || **155** lucebit P^1GH^1K TZ, lucebis Φ || **156** qua stans exardet ... fumat *Didot, alii alia* | qui] quae P^1R | gutture $V\Phi$ *schol. Probus,* pectore P^1RAO || **156b** *exempli causa addidit Housman* || **157** *delebant Guietus, Struve* | deducis P^2LO^1 (aut latus media sulcus te ducet harena *Heindorf,* atque latus media sulcum deducet harena *Helmbold, alii alia*) || **158** vehetur $AGLT$ || **159** despiciat VU, despiciaet P^1R, despiciet Φ || **160** veniat V || **161** qui] si *Plathner* | verbo *coni. Nisbet,* versum P^1R, verbum *man. rec. in P,* versu V, verum Φ || **162–171** *damnavit Guietas* || **162** Aeneam L | rutilumque K^1L || **163** excussus (*i. e. femineo habitu exutus*) *coni. Nisbet* || **164** undamque *Heinrich, sed cf. Val. Flacc. 1,219* || **165** semel *Nisbet,* velut *libri*

infremuit, rubet auditor cui frigida mens est
criminibus, tacita sudant praecordia culpa.
inde irae et lacrimae. tecum prius ergo voluta
haec animo ante tubas. galeatum sero duelli
170 paenitet.' experiar quid concedatur in illos
quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

PRV AGHKLOTUZ

167 tacida *P¹R* || **168** irae *P¹RV lem. Φ* ira *AG¹K¹LO* || **169** animo ante *P²AH²LU²Z* anime ante *G¹OV* animante *P¹RΦ* anim(a)e ante animo ante animante *hic vel ille codices Prisciani gramm. III 236,26* | tubas *P¹RVAGKOUZ Prisc.* tubam *L* tuba *Φ* || **170** quid] qui *P¹R* || **171** legitur *P¹RV lem.*

SATVRA ALTERA

Ultra Sauromatas fugere hinc libet et glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent
qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt.
indocti primum, quanquam plena omnia gypso
5 Chrysippi invenias; nam perfectissimus horum
si quis Aristotelen similem vel Pittacon emit
et iubet archetypos pluteum servare Cleanthas.
fronti nulla fides; quis enim non vicus abundat
tristibus obscenis? castigas turpia, cum sis
10 inter Socraticos notissima fossa cinaedos.
hispida membra quidem et durae per bracchia setae
promittunt atrocem animum, sed podice levi
caeduntur tumidae medico ridente mariscae.
rarus sermo illis et magna libido tacendi
15 atque supercilio brevior coma. verius ergo

PRV AGHKLOTUZ

1 hic *P¹* || **3** bacchanalia *PVZ lem.* bachanalia *Φ* || **4** plana *V* || **5** invenies *schol.* | horum *P¹RV* horum est *Φ* || **6** aristotelen *P¹RVGK lem.* aristotilen *peiusve cett.* | pictacon *P²RVG* || **7** archetipost *P¹R¹* | puteum *H. Valesius* | cloanthas *Φ* || **8** fronti *recc. nonnulli et coni. Marklandus, probante Rupertio* frontis *libri* || **9** castiges *interrogationis nota post* cinaedos *posita Marklandus* || **10** Sotadicos *Leopardi et post eum Guietus* || **16** hunc] hoc *Rosenbaum*

et magis ingenue Peribomius; hunc ego fatis
imputo quem vultu morbum incessuque fatetur.
horum simplicitas miserabilis; his furor ipse
dat veniam: sed peiores, qui talia verbis
20 Herculis invadunt et de virtute locuti
clunem agitant. "ego te ceventem, Sexte, verebor?"
infamis Varillus ait, "quo deterior te?"
loripedem rectus derideat, Aethiopem albus.
quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
25 quis caelum terris non misceat et mare caelo,
si fur displiceat Verri, homicida Miloni,
Clodius accuset moechos, Catilina Cethegum,
in tabulam Sullae si dicant discipuli tres?
qualis erat nuper tragico pollutus adulter
30 concubitu, qui tunc leges revocabat amaras
omnibus atque ipsis Veneri Martique timendas,
cum tot abortivis fecundam Iulia vulvam
solveret et patruo similes effunderet offas.
nonne igitur iure ac merito vitia ultima fictos
35 contemnunt Scauros et castigata remordent?

PRV Aurel. AGHKLOTUZ

17 quem *Marklandus et Ruperti* qui *libri* | vultu] vultum P^1RV cultu *H. Valesius* || 19 sed] sunt *forte legendum* | periores *V* unde peiiores *scribere maluit Housman* || 22 verillus *U* || 24 *om.* GHK^1UZ | querentes] non querentes P^1R^1 || 26 verri* *P* verri si *recc. nonnulli et coni. Barthius* || 27 claudius *recc. nonnulli* || 29 tragico nuper *HKZ* || 30 revocabat P^1RV revocarat *Φ contra poetae morem* || 31 ipsi P^2UV || 32–89 *laceros exhibet Aurel.* || 34 vitia ultima P^2V*Aurel. Φ* vitia omnia P^1O^2R *omnia vitia* O^1 | victos condemnant *Scriverius sibi impar*

Non tulit ex illis torvum Laronia quendam
clamantem toties, "ubi nunc, Lex Iulia, dormis?"
atque ita subridens: "felicia tempora, quae te
moribus opponunt! habeat iam Roma pudorem.
40 tertius e caelo cecidit Cato. sed tamen unde
haec emis, hirsuto spirant opobalsama collo
quae tibi? ne pudeat dominum monstrare tabernae.
quod si vexantur leges ac iura, citari
ante omnes debet Scantinia. respice primum
45 ac scrutare viros: faciunt peiora, sed illos
defendit numerus iunctaeque umbone phalanges.
magna inter molles concordia. non erit ullum
exemplum in nostro tam detestabile sexu.
Tedia non lambit Cluviam nec Flora Catullam:
50 Hispo subit iuvenes et morbo pallet utroque.
nunquid nos agimus causas? civilia iura
novimus? aut ullo strepitu fora vestra movemus?
luctantur paucae, comedunt colyphia paucae.
vos lanam trahitis calathisque peracta refertis

PRV Aurel. AHKGLOTUZ

112 marmoream *P¹R* | praemia *P¹R lem.* || **113** vellento *P¹R unde Housman* Veiiento *scribendum censuit* lento *lem.* vegento *VFU* veiento *Φ* || **114** visae] visa et *P¹R* || **115** conprospicuum *A* || **116** *versum ex glossa 'caecus adulter' scilicet ortum damnavit Courtney* | a ponte] ac sponte *H. Valesius* repente *Weidner, alii alia* || **117** dignos *FGU* | Aricinas ... arces *coni. Ruperti* || **120** laevo *P¹R* laevum *VΦ* *unde* laevom *scr. Hermann* || **121** belua sic] beluas in *R et fort. P¹* | pugnos *Scholte* punctus *Nisbet* || **122** pecma *R* | velari adaptos *V* || **123** vellento *P¹* vellendo *R* velento *P²V* veiento *Φ* || **126** brittanno *PK* || **127** excidet *P¹RV Sang. TU* excidit *Φ* | arviracus *V* arvirarus *U*

erectas per terga sudes?' hoc defuit unum
Fabricio, patriam ut rhombi memoraret et annos.
130 'quidnam igitur censes? conciditur?' 'absit ab illo
dedecus hoc', Montanus ait, 'testa alta paretur
quae tenui muro spatiosum colligat orbem.
debetur magnus patinae subitusque Prometheus.
argillam atque rotam citius properate; sed ex hoc
135 tempore iam, Caesar, figuli tua castra sequantur.'
vicit digna viro sententia. noverat ille
luxuriam imperii veterem noctesque Neronis
iam medias aliamque famem, cum pulmo Falerno
arderet. nulli maior fuit usus edendi
140 tempestate mea: Circeis nata forent an
Lucrinum ad stagnum Rutupinove edita fundo
ostrea, callebat primo deprendere morsu
et simul aspecti litus dicebat echini.
surgitur et misso proceres exire iubentur
145 consilio, quos Albanam dux magnus in arcem
traxerat attonitos et festinare coactos,

PRV AFGHKLOTUZ

128 ereptas *recc. quidam* arrectas *Guietus* | per *Guietus, Housman* in *libri* || **131** alta] illa FK^1L^2Z | paratur *A* || **132** spatium *R* || **134** properare *Casaubon, Rantzau* || **135** figuli] tigidi *F* tegulae HL^1TZ || **136** vincit *schol.* || **141** stagnum *Coleman* saxum *libri* | edita] eruta *Marklandus* | *post* **141** *titulus sequentis saturae (sc. 'De cenis contumeliosis') scriptus et erasus in P, idem titulus in T, unius versus spatium liberum in R* | rutupinoque G^2HKL^2 || **143** simul *Pricaeus, Scholte* semel *libri* | echeni P^1R atheni U^1 || **144** properes P^1R | exibere P^1 adhibere *R* || **146** attonitus *F*

tanquam de Chattis aliquid torvisque Sygambris
dicturus, tanquam ex diversis partibus orbis
anxia praecipiti venisset epistula pinna.
150 atque utinam his potius nugis tota illa dedisset
tempora saevitiae, claras quibus abstulit urbi
illustresque animas impune et vindice nullo!
sed periit postquam cerdonibus esse timendus
coeperat: hoc nocuit Lamiarum caede madenti.

PRV AFGHKLOTUZ

147 c(h)att(h)is *R V lem. Valla et fort. P[1]* getis *Φ* grecis *dett. nonnulli* | tortisque *Valla ex codice suo* || **148** ex *O, sicut coni. H. Valesius et Weidner* et *PRT* (*unde* ec *Ribbeck*) *a K V, om. Φ* || **149** praecipiti venisset] praecipiti** venis sed *P[1]* praecepit iuvenis sed *R* | epistula Pauli *recc. quidam miro religionis afflatu* || 152 Vindice *C. Valesius*

SATVRA QVINTA

Si te propositi nondum pudet atque eadem est mens,
ut bona summa putes aliena vivere quadra;
si potes illa pati quae nec Sarmentus iniquas
Caesaris ad mensas nec vilis Gabba tulisset,
5 quamvis iurato metuam tibi credere testi.
ventre nihil novi frugalius: hoc tamen ipsum
defecisse puta quod inani sufficit alvo:
nulla crepido vacat? nusquam pons et tegetis pars
dimidia brevior? tantine iniuria cenae,
10 tam ieiuna fames, cum possit honestius illic
et tremere et sordes farris mordere canini?
Primo fige loco, quod tu discumbere iussus
mercedem solidam veterum capis officiorum.
fructus amicitiae magnae cibus: imputat hunc rex
15 et, quamvis rarum, tamen imputat. ergo duos post

PRV AFGHKLOTUZ

1 et **3** si] sic ...? *Lubinus* | eandem *P*[1] *lem.* || **3** iniqui *F* iniquus *Z*[1] || **4** vilis] ullis *V* | gabba *P*[1] *RV lem. T* galba *Φ* || **5** teste *VF* || **8** vocat *VH*[1] || **9** demedia *P*[1] *R* dimidio *U et coni. Guietus* dimidior *F* | tantine ... fames *delebat Heinrich* || **10** tam ieiuna] tantine ulla *Guietus* | cum possit *P*[1] *RFKZ* cum posis *VU* cum possis *Φ* quin possit *recc.* cum pol sit *Ruperti* possis cum *Heineccius, hiatum ferri posse opinatus* quae possit *Manso* quin poscis? *Lubinus, Graevius* || **12** quod] quo *RV* || **13** solitam *P*[2] *G*[2] *K*[2] *U*[2] *Z*[2] || **14** rex *om. V* || **15** raro *HKL*[1]

si libuit menses neglectum adhibere clientem,
tertia ne vacuo cessaret culcita lecto,
'una simus', ait. votorum summa: quid ultra
quaeris? habet Trebius propter quod rumpere somnum
20 debeat et ligulas dimittere, sollicitus ne
tota salutatrix iam turba peregerit orbem
sideribus dubiis aut illo tempore quo se
frigida circumagunt pigri serraca Bootae.
Qualis cena tamen! vinum quod sucida nolit
25 lana pati: de conviva Corybanta videbis.
iurgia proludunt, sed mox et pocula torques
saucius et rubra deterges vulnera mappa,
inter vos quoties libertorumque cohortem
pugna Saguntina fervet commissa lagona.
30 ipse capillato diffusum consule potat
calcatamque tenet bellis socialibus uvam
cardiaco nunquam cyathum missurus amico.
cras bibet Albanis aliquid de montibus aut de
Setinis, cuius patriam titulumque senectus
35 delevit multa veteris fuligine testae,
quale coronati Thrasea Helvidiusque bibebant
Brutorum et Cassi natalibus. ipse capaces

PRV AFGHKLOTUZ

19 trevius *V* || **22–23** *post 19 ponebat Schurzfleisch* || **22** sarraca *schol. Stat Theb 4.655 et Gloss. II, p. 178,53* | boete *R et lem. Pith. priore loco* (boote *altero*) bote *V* || **24** quod] quo *P¹RO* | sucida *VAU* succida *cett.* || **25** de] te e *H. Valesius* || **26–29** *post 155 ponebat Ribbeck* || **26** *et* **27** torquens *et* detergens *FZ* || **29** lagona *P¹RVF* lagoena *vel* lagena *vel* laguena *Φ Mico* || **31** *post* uvam *plenum punctum post* amico *comma ponebat Housman* || **32** gardiaco *V* || **37** cassi in natalibus *HK*

Heliadum crustas et inaequales berullo
Virro tenet phialas; tibi non committitur aurum,
40 vel si quando datur, custos affixus ibidem
qui numeret gemmas, ungues observet acutos.
da veniam: praeclara illi laudatur iaspis.
nam Virro, ut multi, gemmas ad pocula transfert
a digitis, quas in vaginae fronte solebat
45 ponere zelotypo iuvenis praelatus Iarbae.
tu Beneventani sutoris nomen habentem
siccabis calicem nasorum quattuor ac iam
quassatum et rupto poscentem sulpura vitro.
Si stomachus domini fervet vinoque ciboque,
50 frigidior Geticis petitur decocta pruinis.
non eadem vobis poni modo vina querebar?
vos aliam potatis aquam; tibi pocula cursor
Gaetulus dabit aut nigri manus ossea Mauri
et cui per mediam nolis occurrere noctem,
55 clivosae veheris dum per monumenta Latinae.
flos Asiae ante ipsum, pretio maiore paratus

PRV AFGHKLOTUZ

38 appiadum *V* | berullo *PR et coni. Salmasius* berullos *VOT* berillos *Φ* beryllis *H. Valesius* || **39** phiala *P¹R* || **40** *post* ibidem *add.* est *AFU²Z²* || **41** numerat *FG et lem. Pith.* | observit *P* observat *F¹* | acutos] amicos *P²FLU¹Z probante Heinsio* aduncos *Valla* || **42** illi *P¹R Sang.* illic *VΦ* || **43–45** *delebat Ribbeck, quibus 40–42 libenter adderem, si bipenni rem agere liceret* || **43** ut] et *P¹R* || **46** beneventanis votoris *P¹R* beneventani votoris *lem.* || **51** *versum delebat Pinzger et Heinrich; interrogationis notam adiecit Hermann, ante* **49** *ponebat Manso* | vobis] iubis *FZ* | poni *om. FK¹* || **52** cursor] furvus *Schrader*

quam fuit et Tulli census pugnacis et Anci
et, ne te teneam, Romanorum omnia regum
frivola. quod cum ita sit, tu Gaetulum Ganymedem
60 respice cum sities: nescit tot milibus emptus
pauperibus miscere puer; sed forma, sed aetas
digna supercilio. quando ad te pervenit ille?
quando rogatus adest calidae gelidaeque minister?
quippe indignatur veteri parere clienti,
65 quodque aliquid poscas, et quod se stante recumbas.
maxima quaeque domus servis est plena superbis.
Ecce alius quanto porrexit murmure panem
vix fractum, solidae iam mucida frusta farinae,
quae genuinum agitent, non admittentia morsum!
70 sed tener et niveus mollique siligine fictus
servatur domino: dextram cohibere memento;
salva sit artoptae reverentia! finge tamen te
improbulum, superest illic qui ponere cogat:
'vis tu consuetis, audax conviva, canistris
75 impleri panisque tui novisse colorem?'
"scilicet hoc fuerat, propter quod saepe relicta

PRV AFGHKLOTUZ

57 pugnacis *ad* Anci *referendum vidit Marklandus* || 59 ganimede *Sang.* ganimeden *G* || 63 *delebat Ribbeck, post* 64 *collocant* P^1RO | rogatus P^1RAO vocatus *VΦ* | caldae *quasi formam cotidianam malebat Scholte* | post 64 *unum versum excidisse putavit Knoche* || 65 recubas P^1RU^1 || 66 *versum delevit Heinrich* || 68 vix] vis *V* | frustra FH^1K^1 *usitato errore* || 69 morsu P^1RFU^1 || 70 fictus P^1RAZ factus *VΦ* || 71 servator *F* || 72 artoptae P^1RF *Probus et Vallae codd.* arto opta e *V* artotoptae *F* artocopi *Φ* | finge tamen te *VΦ* fingit amente R^1V finget amentem *F* fingit amentem AH^1K^1LU || 74 vis] vix *AGUKZ* || 75 planisque P^1R

coniuge per montem adversum gelidasque cucurri
Esquilias, fremeret saeva cum grandine vernus
Iuppiter et multo stillaret paenula nimbo".
80 Aspice quam longo distinguat pectore lancem
quae fertur domino squilla et quibus undique saepta
asparagis, qua despiciat convivia cauda,
dum venit excelsi manibus sublata ministri!
sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo
85 ponitur exigua feralis cena patella.
ipse Venafrano piscem perfundit: at hic qui
pallidus adfertur misero tibi caulis olebit
lanternam; illud enim vestris datur alveolis quod
canna Micipsarum prora subvexit acuta,
90 propter quod Romae cum Boccare nemo lavatur.
quod tutos etiam facit a serpentibus atris.
mullus erit domini quem misit Corsica vel quem
Tauromenitanae rupes, quando omne peractum est
et iam defecit nostrum mare, dum gula saevit,
95 retibus assiduis penitus scrutante macello
proxima, nec patimur Tyrrhenum crescere piscem.

PRV AFGHKLOTUZ

77 cucurrit *R et cod Turic. Heinrichii* cucursti *voluit Marklandus, quod doleo* || 80 distinguat *P¹RV* distentat *LT* distendat *Φ* | pectori *P¹R* || 84 cam(m)arus *P¹RVLU schol.* gammarus *Φ* || 87 cauculis *P¹R* || 88 lanternam *P¹RVFHZ Prisc. gramm. 3. 329,3* laternam *Φ* | dabitur *P¹RO lem.* | quod *om. P¹R* || 89 cannam ipsarum *P¹* cannam hic ipsarum *RV* || 90 Bocchore *Salmasius* || 91 *versum ab inepto magistello confictum om. P¹RVU¹, ante* 90 *ponit O* || 95 ritibus *P¹R* || 96 patimur *P¹RFKLOTZ* patitur *VΦ* | *in huius versus fine desinit V*

instruit ergo focum provincia: sumitur illinc
quod captator emat Laenas, Aurelia vendat.
Virroni muraena datur quae maxima venit
100 gurgite de Siculo; nam dum se continet Auster,
dum sedet et siccat madidas in carcere pinnas,
contemnunt mediam temeraria lina Charybdin;
vos anguilla manet longae cognata colubrae
aut glaucis sparsus maculis Tiberinus, et ipse
105 vernula riparum, pinguis torrente cloaca
et solitus mediae cryptam penetrare Suburae.
ipsi pauca velim, facilem si praebeat aurem.
nemo petit modicis quae mittebantur amicis
a Seneca, quae Piso bonus, quae Cotta solebat
110 *largiri; namque et titulis et fascibus olim*
maior habebatur donandi gloria. solum
poscimus ut cenes civiliter. hoc face et esto,
esto, ut nunc multi, dives tibi, pauper amicis.
Anseris ante ipsum magni iecur; anseribus par
115 altilis, et flavi dignus ferro Meleagri

PR AFGHKLOTUZ

98 captator emat] captatorem *P*[1] *lem.* captatorem ad *R* captator *L*[1] || **99–102** *duplicis recensionis vestigia agnoscebat Teuffel* || **102** charybdin *HU* charybdim *cett.* || **104** glaucis sparsus *Clausen* glacie aspersus *libri* glanis aspersus *Garrod* placet aspersus *Froehner* aut lupus aspersus *Marklandus, alii alia*; *versum delebat Thompson* || **105** torpente *Rutgersius, Eremita, Marklandus* || **107–113** *damnavit Ribbeck* || **107** si] se *P*[1]*RU*[1] || **110** et *alterum om.* *P*[1]*R* || **112** genes *P*[1]*R* | face] faciet *P*[1] facies *R* facies tu *F* || **114** anseris *om.* *F* | anseribus] anseris et *dub. Courtney* || **115** flavi] validi *vel* gnavi *volebat Heinsius, sed epitheton Homericum est Iliados 2,642* | ferro dignus *HKU*

spumat aper; post hunc tradentur tubera, si ver
tunc erit et facient optata tonitrua cenas
maiores. 'tibe habe frumentum', Alledius inquit,
'o Libye; disiunge boves, dum tubera mittas.'
120 structorem interea, ne qua indignatio desit,
saltantem spectes et chironomunta volanti
cultello, donec peragat dictata magistri
omnia; nec minimo sane discrimine refert
quo gestu lepores et quo gallina secetur.
125 Duceris planta velut ictus ab Hercule Cacus
et ponere foris, si quid temptaveris unquam
hiscere tanquam habeas tria nomina. quando propinat
Virro tibi sumitve tuis contacta labellis
pocula? quis vestrum temerarius usque adeo, quis
130 perditus, ut dicat regi, 'bibe'? plurima sunt quae
non audent homines pertusa dicere laena.
quadringenta tibi si quis deus aut similis dis
et melior fatis donaret homuncio, quantus
ex nihilo, quantus fieres Virronis amicus!

PR AFGHKLOTUZ

116 spumat *PRA lem.* fumat *Φ* | hunc] huic *Heinsius* | tradentur *PR lem.* radentur *FHKUTZ* raduntur *Φ* || **117** tunc] non *Rupertius* || **118** maiores] maior est *P¹R* | alledius *P¹R* alidius *FK* alvedius *L* aledius *Φ* || **119** libye *PRHU* libia *Φ* || **121** spectes *recc.* spectis *P¹R* spectas *Φ* videas *H* || **12** chironomunta *P¹RKU lem.* chironomonta *F* || **122** magister *L* || **124** secentur *U* || **125–139** *post 29 (= 129) ponebat Ribbeck* | victus *F* || **127** quanquam *schol.* || **128** sumitve *P¹RFHK* sumetve *U* sumitque *Φ* || **132** quadraginta *A* || **134** fieret *F*

135 'da Trebio; pone ad Trebium. vis, frater, ab ipsis
ilibus?' o nummi, vobis hunc praestat honorem;
vos estis frater. dominus tamen et domini rex
si vis tu fieri, nullus tibi parvulus aula
luserit Aeneas nec filia dulcior illo.
140 *iucundum et carum sterilis facit uxor amicum.*
sed tua nunc Mycale pariat licet et pueros tres
in gremium patris fundat simul, ipse loquaci
gaudebit nido, viridem thoraca iubebit
afferri minimasque nuces assemque rogatum,
145 ad mensam quoties parasitus venerit infans.
Vilibus ancipites fungi ponentur amicis;
boletus domino, sed quales Claudius edit
ante illum uxoris, post quem nihil amplius edit.
Virro sibi et reliquis Virronibus illa iubebit
150 poma dari quorum solo pascaris odore,

PR AFGHKLOTUZ

137 frater *coni. Marklandus, quod postea in Colon. 199 et Paris 8291 repertum* fratres *libri* | tamen *om. R* || **138** tu *Φ* tunc *P¹R FO* tum *Housman* || **139** luserat *P¹* iusserat *R* || **140** *versum delevit Jahn* || **141** mycale *Φ* mygale *P¹R lem.* Megale *Buecheler, Marklandus* || **142** simul *Φ* semel *P¹R* || **143** thoraca] cito rhaga *Jan* | *locum sic nimis audacter refinxit Scholte:* adferri miniosque (*v. ad 13,70)* equulos axemque rotatum ac thensam quoties *etc.* || **146–155** *post 169 (= 115) ponebat Ribbeck et post 155 lacunam statuit* || **146–148** *e medio tollendos censuit Heineccius; 148 damnaverat iam Schurzfleisch praeeunte Marklando et reliquos sic ordinaverat:* Boletus domino, fungi ponuntur amicis vilibus ancipites seu quales Claudius edit. || **146** portentur *P¹R* potentur *lem.* ponuntur *F* porgentur *Ribbeck* || **147** sed] nec *Ribbeck* || **148** *versum om. U¹L¹* || **149** iubebit] videbit *Z* || **150** pasceris *F*

qualia perpetuus Phaeacum auctumnus habebat,
credere quae possis subrepta sororibus Afris:
tu scabie frueris mali quod in aggere rodit
qui tegitur parma et galea metuensque flagelli
155 discit ab hirsuta iaculum torquere capella.
Forsitan impensae Virronem parcere credas.
hoc agit ut doleas; nam quae comoedia, mimus
quis melior plorante gula? ergo omnia fiunt,
si nescis, ut per lacrimas effundere bilem
160 cogaris pressoque diu stridere molari.
tu tibi liber homo et regis conviva videris:
captum te nidore suae putat ille culinae.
nec male coniectat; quis enim tam nudus ut illum
bis ferat, Etruscum puero si contigit aurum
165 vel nodus tantum et signum de paupere loro?
spes bene cenandi vos decipit: 'ecce dabit iam
semesum leporem atque aliquid de clunibus apri;
ad nos iam veniet minor altilis.' inde parato
intactoque omnes et stricto pane tacetis.

PR AFGHKLOTUZ

151 habebit *AGL*[1] || 155 hirsuto ... Capella *Yvo Villiom., Eremita* || 158 plorante gula melior *H* || **161–165** *delebat Ribbeck* || **161** conviva videris] videris convivia *P*[1]*R lem.* || **163** coniecta *R* || **166–169** *post* **124** *ponebat Ribbeck et post 169 lacunam statuit* || **166** canendi *P*[1]*R* cenenandi *A* || **168** ad vos *coni. Marklandus* ad nostram veniet mensam altilis *Francke non ita affabre* | 169 stricto] sicco *Guietus* | tacetis *Φ* iacetis *PFRZ et coni. Lubinus* sedetis *L*

170 ille sapit, qui te sic utitur. omnia ferre
si potes, et debes. pulsandum vertice raso
praebebis quandoque caput, nec dura timebis
flagra pati, his epulis et tali dignus amico.

PR AFGHKLOTUZ

170–171 *inverso ordine ponit G* ‖ **171** pulsandus *K*

Addendum

Ut facilius cognoscas, lector, quomodo in hac satura vel emendanda vel depravanda se gesserit Ribbeck, versuum ordinem Ribbeckianum hic exhibeo: 1–25; 30–124 (deletis 66, 91, 107–113); 166–169; lacuna; 146–155; lacuna; 26–29; 125–145 (deleto 140); 156–160; 170–173 (deletis 161–165). Dolebis mecum, ni fallor, magnum virum omnem veri similitudinem sic praetergressum.

SATVRA SEXTA

Credo Pudicitiam Saturno rege moratam
in terris visamque diu, cum frigida parvas
praeberet spelunca domos ignemque laremque
et pecus et dominos communi clauderet umbra;
5 silvestrem montana torum cum sterneret uxor
frondibus et culmo vicinarumque ferarum
pellibus, haud similis tibi Cynthia, nec tibi, cuius
turbavit nitidos extinctus passer ocellos,
sed potanda ferens infantibus ubera magnis
10 et saepe horridior glandem ructante marito.
quippe aliter tunc orbe novo caeloque recenti
vivebant homines, qui rupe et robore nati
compositive luto nullos habuere parentes.
multa Pudicitiae veteris vestigia forsan
15 aut aliqua extiterint et sub Iove, sed Iove nondum
barbato, nondum Graecis iurare paratis

PR AFGHKLOTUZ

4 communis *schol. Stat. et Gaybac. 2, probante Wakefieldo* || 7 haud] non *Prisc.* || 8 turbabit *P¹ lem. FZ* turpavit *Schrader, Schurzfleisch* || 9 magnis] manus *P¹R* || 12 rupe et *Scholte* (*rupe aut fort. melius*) rupto *libri* || 13 compositive *P¹ ut vid. RFKOTU* compositique *cett.* || 14 fastigia *R* || 15 et] sed *P¹R* | sed] et *P¹R* || 16 peritis *U*

per caput alterius, cum furem nemo timeret
caulibus et pomis et aperto viveret horto.
paulatim deinde ad superos Astraea recessit
20 *hac comite, atque duae pariter fugere sorores.*
Antiquum et vetus est alienum, Postume, lectum
concutere atque sacri genium contemnere fulcri.
omne aliud crimen mox ferrea protulit aetas:
viderunt primos argentea saecula moechos.
25 conventum tamen et pactum et sponsalia nostra
tempestate paras iamque a tonsore magistro
pecteris et digito pignus fortasse dedisti?
certe sanus eras. uxorem, Postume, ducis?
dic qua Tisiphone, quibus exagitate colubris?
30 ferre potes dominam salvis tot restibus ullam,
cum pateant altae caligantesque fenestrae,
cum tibi vicinum se praebeat Aemilius pons?
aut, si de multis nullus placet exitus, illud
nonne putas melius, quod tecum pusio dormit –
35 pusio qui noctu non litigat, exigit a te

PR AFGHKLOTUZ

17 alterius] illius (*sc. Iovis*) *Guietus* ‖ **18** et *PR* ac *Φ* (caulibus et pomis sed aperto v. h. *legendum esse susp. Barthius*) ‖ **19–20** *iam Jortino suspectos damnavit Scholte* ‖ **22** pulchri *P¹ lem.* ‖ **23** *post* **24** *ponebat Schrader; de versuum ordine iam Marklandus dubitaverat* ‖ **24** *damnavit Heineccius* ‖ **25** et *alterum om. P¹RO* ‖ **26** magistro] Machaera *coni. Heinrich nulla idonea ratione* ‖ **28** ducis *PRATU* duces *Φ* ‖ **28** *versum delebat Hermann* ‖ **29** quibus *om. P¹* | exagitate *H. Valesius* exagitere *OUZ et coni. Marklandus* exagitare *cett.* ‖ **34** putes *L* | quod] quom *Guietus* | *hic et* **35** pungio *PR lem. schol.* pugio *F* Pygio *volebat Rutgers* ‖ **35** exigit a te] exagitatve *P* exigat a te *U* exigit ex te *Jahn*

nulla iacens illic munuscula, nec queritur quod
et lateri parcas nec quantum iussit anheles?
Sed placet Ursidio lex Iulia: tollere dulcem
cogitat heredem, cariturus turture magno
40 mullorumque iubis et captatore macello.
quid fieri non posse putes, si iungitur ulla
Ursidio? si moechorum notissimus olim
stulta maritali iam porrigit ora capistro,
quem toties texit redituri cista Latini?
45 quid, quod et antiquis uxor de moribus illi
quaeritur? o medici, nimiam pertundite venam!
delicias hominis! Tarpeium limen adora
pronus et auratum Iunoni caede iuvencam
si tibi contigerit capitis matrona pudici.
50 paucae adeo Cereris vittas contingere dignae,
quarum non timeat pater oscula: necte coronam
postibus et densos per limina tende corymbos!
unus Hiberinae vir sufficit? ocius illud
extorquebis ut haec oculo contenta sit uno.
55 magna tamen fama est cuiusdam rure Pedano

PR AFGHKLOTUZ

36 illic] illinc *AGU*[2] illex *Weidner* hillis *nimis docte Hermann* | nec] ne *P*[1] *RA* || **40** multorumque *P*[1] *R* || **43–44** *inverso ordine ponebat Prinz non male* || **44** redituri *Palmer* perituri *libri* periuri *H. Valesius, quod recepit Heinrich* periturum *volebat Marshall* || **46** nimiam *P*[1] *FHKTZ* nimium *R* mediam *AGLOU* || **50** teretis vittas *Housman, qui et* Cereris contingere munera dignae *coniecit* Cereris victus *Giangrande* || **52** tende *RAGLOU* necte *FHKTZ et in ras. P*[2] || **55** Pedano *exempli gratia Housman* (*adjectivum locale, ut* Gabino, Sabino, *iam Marklandus desideraverat*) paterno *ex v. 57 libri*

viventis: vivat Gabiis ut vixit in agro,
vivat Fidenis, et agello cedo paterno.
quis tamen affirmat nil actum in montibus aut in
speluncis? adeo senuerunt Iuppiter et Mars?
60 Porticibusne tibi monstratur femina voto
digna tuo? cuneis an habent spectacula totis
quod securus ames quoque inde excerpere possis?
chironomon Ledam molli saltante Bathyllo
Tuccia vesicae non imperat, Apula gannit,
65 *sicut in amplexu subito et miserabile longum*
attendit Thymele; Thymele tunc rustica discit.
ast aliae, quoties aulaea recondita cessant
et vacuo clausoque sonant fora sola theatro
atque a Plebeiis longe Megalesia, tristes
70 personam thyrsumque tenent et subligar Hagni.

PR AFGHKLOTUZ

57 fidens *P¹R lem.* | et] ut *Manso, Marklandus* | agello ⟨ego⟩ *Leo* | cedo] credo *De Jonge, Thierfelder* || **58** affirmet *Guietus* | nil *PFKOUZ* nihil *RAGHLT* || **61** an habent] quae habeat *lem.* an habet *F* || **62** possit *R* posses *U* || **63** chironomo *Marcilius et Marklandus* | mollibus *R* mollem *coni. Marklandus* || **64** tuccla *P¹R* Thuscia *Marklandus* || **65** *versum damnaverunt Guietus, Nisbet; Oedipo indigere notavit Marklandus* | subito ... Thymele *damnabat Knoche;* longum *et* gannit *transponere volebat Housman sibi impar* | subito *P¹RK¹OZ* subitum *Φ* subat *Barthius* subidum *Hermann* | et *om. OU¹ et delebat Dobree* || **66** accendit Thymelen *dub. Marklandus* || **69** *versum delebat Guietus* | a *om. FK¹* | tristis *K* || **70** Hagni *Ribbeck* acne *P lem.* acii *A* accii *GU* actii *T* acci *FLO et sic vulgo edunt;* ardent *volebat Weidner*

Urbicus exodio risum movet Atellanae
gestibus Autonoes: hunc diligit Aelia pauper.
solvitur his magno comoedi fibula; sunt quae
Chrysogonum cantare vetent; Hispulla tragoedo
75 gaudet: an exspectas ut Quintilianus ametur?
accipis uxorem de qua citharoedus Echion
aut Glaphyrus fiat pater Ambrosiusve choraules.
longa per angustos figamus pulpita vicos,
ornentur postes et grandi ianua lauro,
80 ut testudineo tibi, Lentule, conopeo
nobilis Euryalum murmillonem exprimat infans.
Nupta senatori comitata est Eppia ludum
ad Pharon et Nilum famosaque moenia Lagi,
prodigium et mores Urbis damnante Canopo.
85 immemor illa domus et coniugis atque sororis
nil patriae indulsit, plorantesque improba natos,
utque magis stupeas, ludos Paridemque reliquit.
sed quanquam in magnis opibus plumaque paterna
et segmentatis dormisset parvula cunis,
90 contempsit pelagus: famam contempserat olim,
cuius apud molles minima est iactura cathedras.

PR AFGHKLOTUZ

71–72 *commode abesse possint, nam de feminis pauperibus h. l. agi non debet, id quod Friedl. vidit* || **73** comoedia *P¹R lem.* || **75** expectes *AO* || **77** glaprius *O* | ambrosiusve *U et coni. H. Valesius et Marklandus* ambrosiusque *cett.* || **78** augustos *GH* | ficamus *R* figantur *H. Valesius* || **80** Lentule] Postume *voluit Marshall, sed Lentulitatis notio a loco non aliena est* || **81** euryalum *P¹RAU* euryalum aut *Φ et sic videtur legisse scholiastes* || **82** eppia *P¹R* (h)ippia *Φ* || **84** prodigium *Nisbet* prodigia *libri* || **85** sororum *ut vid. P¹, sed v. 110* sorori || **87** stupeat *P¹* || **88** sed] se *RF*

Tyrrhenos igitur fluctus lateque sonantem
pertulit Ionium constanti pectore, quamvis
mutandum toties esset mare. iusta pericli
95 si ratio est et honesta, timent pavidoque gelantur
pectore, nec tremulis possunt insistere plantis.
fortem animum praestant rebus quas turpiter audent.
si iubeat coniunx, durum est conscendere navem:
tunc sentina gravis, tunc summus vertitur aer:
100 quae moechum sequitur, stomacho valet. illa maritum
convomit: haec inter nautas et prandet et errat
per puppem et duros gaudet tractare rudentes.
qua tamen exarsit forma, qua capta iuventa
Eppia? quid vidit propter quod ludia dici
105 sustinuit? nam Sergiolus iam radere guttur
coeperat et secto requiem sperare lacerto.
praeterea multa in facie deformia, sicut
attritus galeae mediisque in naribus ingens
gibbus et acre malum semper stillantis ocelli
110 sed gladiator erat: facit hoc illos Hyacinthos;
hoc pueris patriaeque, hoc praetulit illa sorori

PR AFGHKLOTUZ

92 sonorum *Bentleius, a quo dissentit Heineccius ad loc.* || **93** Ionium] ignium *P¹* egeum *R* || **97** *versum delevit Scholte* || **100** marito *LU* || **103** iuventa *P¹RAOU* iuventa est *Φ* || **104** eppia *R* enpia *P¹* (h)ippia *fere cett.* | lydia *R* || **107** sicut *multis suspectum:* nasus *Marklandus, qui et versum post 107 excidisse putavit* cirrus *Ribbeck,* vultus *Scholte* ficus *Buecheler* sulcus *Nisbet; traditam lectionem defendit Courtney* || **108** galeae *Guietus et H. Valesius* galea *libri* || **109** semper *P¹RAT* sed *lem.* saepe *Φ* foede *Jacobs* || **110** hiacinctos *Sang.*

atque viro. ferrum est quod amant. hic Sergius idem
accepta rude coepisset Veiento videri.
Quid privata domus, quid fecerit Eppia, curas?
115 respice rivales divorum; Claudius audi
quae tulerit. dormire virum cum senserat uxor
118 sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos
117 ausa, Palatino ⟨et⟩ tegetem praeferre cubili
linquebat comite ancilla non amplius una.
120 sic, nigrum flavo crinem abscondente galero,
intravit calidum veteri centone lupanar
et cellam vacuam atque suam; tunc nuda papillis
prostitit auratis titulum mentita Lyciscae
ostenditque tuum, generose Britannice, ventrem.
125 *excepit blanda intrantes atque aera poposcit*
continueque iacens cunctorum absorbuit ictus.
mox, lenone suas iam dimittente puellas,

PR AFGHKLOTUZ

113 Veiiento *scr. Housman, cf. 4,113* velento *P*[1] vegento *RU* veiento *Φ schol. Prisc. gramm. 2. 347,16* || **114** domu (= domi) *Herwerden* | eppia *PU lem.* (h)ippia *Φ* || **115** senserit *Z* || **117** *post* **118** *collocavit Hermann;* || **119** *ante* **117** *ponebat Schurzfleisch,* **120** *ante* **118** *Housman; Courtneio placuit versuum ordo* **116, 117, 119, 118,** *unius versus lacuna,* **120** || **117** et *supplevit Hermann, om. libri* | cubili ⟨et⟩ sumere *Marklandus* || **118–120** *versus Guieto suspecti* || **118** sumere] sumens *Manso* || **119** inde ibat *vel* atque ibat *Heineccius* || **120** sed *PRΦ* et *FKTUZ* (*utrumque agnoscunt codd. Servii Aen. 4,698*) sic *O et coni. Ribbeck* | galeno *P*[1]*R* || **122** capillis *U et coni. C. Valesius* || **123** prostitit *P*[1]*R O lem.* *constitit cett.* | lycissae *P*[2]*FGH* || **124** offenditque *Barthius inepte* || **125** *damnavere Hermann, Ribbeck, Reeve* || **126–129** *delebat Gruppe* || **126** *versum in quibusdam dett. repertum om. PΦ; dett. variant inter* continueque iacens cunctorum *et* ac resupina iacens multorum; *versum genuinum putat Jachmann*

tristis abit et, quod potuit tamen, ultima cellam
clausit adhuc ardens rigidae tentigine vulvae,
130 *et lassata viris necdum satiata recessit,*
obscurisque genis turpis fumoque lucernae
foeda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.
hippomanes carmenque loquar coctumque venenum
privignoque datum? faciunt graviora coactae
135 *imperio sexus minimumque libidine peccant.*
'Optima sed quare Censennia teste marito?'
bis quingena dedit: tanti vocat ille pudicam;
nec pharetris Veneris macer est aut lampade fervet.
inde faces ardent: veniunt a dote sagittae.
140 libertas emitur. coram licet innuat atque
rescribat; vidua est, locuples quae nupsit avaro.
'Cur desiderio Bibulae Sertorius ardet?'
si verum excutias, facies, non uxor, amatur.
tres rugae subeant et se cutis arida laxet,
145 fiant obscuri dentes oculique minores:
'collige sarcinulas', dicet libertus, 'et exi'.

PR Arov. AFGHKLOTUZ

128 potuit] habuit *R* || **130** *damnavere Hermann, Ribbeck, Reeve* || **131** genis] cenis *P*[1]*R* || **133–135** *damnavere Gruppe, Ribbeck* || **135** minimumque] summumque *vel* peiusque *Courtney* || **136–193** *iterum adest Arov.* || **136** censennia *P*[1]*R lem. AFKZ* caesennia *U* cessenia *GL* censenia *O* censonia *H* || **137** quingena *P*[1]*R lem. Arov.* quingenta *Φ* || **138** *versum delevit Scholte* | lampada defert *R* lampade fert *Arov. post* **139** *versum excidisse putavit Schulz* || **142** vibulae *P*[1]*R* vivulae *Arov.*[1] || **143** vero *U* | excutiat *Arov.*[1] || **146** dicet *P*[1]*R Arov.* dicit *Φ*

iam gravis es nobis et saepe emungeris. exi
ocius et propera. sicco venit altera naso.'
interea calet et regnat poscitque maritum
150 pastores et ovem Canusinam ulmosque Falernas.
quantulum in hoc? pueros omnes, ergastula tota,
quodque domi non est sed habet vicinus ematur.
mense quidem brumae, quo iam mercator Iason
clausus et armatis obstat casa candida nautis,
155 grandia tolluntur crystallina, maxima rursus
murrina, deinde adamas notissimus et Beronices
in digito factus pretiosior; hunc dedit olim
barbarus incestae gestare Agrippa sorori,
observant ubi festa udo pede sabbata reges
160 et vetus indulget senibus clementia porcis.
'Nullane de tantis gregibus tibi digna videtur?'
sit formosa, decens, dives, fecunda; vetustos

PR Arov. AFGHKLOTUZ

147 *om. T propter homoeoteleuton, post 158 ponit K[1], delebat Hermann* | ut saepe emungeris! *Heinsius probante Burmanno* || **148** ocius. i, propera *Marklandius* ocius. en propera *Mueller* || **151** *versum delebat Scholte* | quantulum enim hoc *Hermann* || **152** sed *P[1] R Arov. KOTU* et *Φ* || **153** quo *P[1] R Arov. A* cum *Φ* quom *coni. Hermann et sic liber Mus. Brit. Add. 12002* | iasum *P lem.* || **155** grandia] splendida *legisse scholiastam suspicatus est Wakefield* | tolluntur] poscuntur *dub. Ruperti* || **156–215** *om. U, addit undecimi saeculi manus post finem sat. XVI* | et Beronices ... pretiosior *fort. delendos putavit Knoche parum considerate* | beronices *R Mico* beronicis *Φ* bernices *P[1] R Arov. Sang. A[1]* bernicis *F* || **157** pretiosior ... incestae *delebat Hermann* || **158** incestus *Guietus inepte* | gestare *Housman praeclare* dedit hoc *P[1] R Arov. Sang. O* dedit hunc *Φ* || **159** udo *Nisbet* nudo *P[1] R Arov. O* mero *Φ* || **160** dementia *R*

porticibus disponat avos, intactior omni
crinibus effusis bellum dirimente Sabina,
165 rara avis in terris nigroque simillima cycno:
quis feret uxorem cui constant omnia? malo,
malo Venustinam quam te, Cornelia, mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
grande supercilium et numeras in dote triumphos.
170 tolle tuum tecum Hannibalem victumque Syphacem
in castris et cum tota Carthagine migra.
'parce, precor, Paean, et tu, dea, pone sagittas;
nil pueri faciunt, ipsam configite matrem,'
Amphion clamat, sed Paean contrahit arcum.
175 extulit ergo greges natorum ipsumque parentem,
dum sibi nobilior Latonae gente videtur
atque eadem scrofa Niobe fecundior alba.
quae tanti gravitas, quae forma, ut se tibi semper
imputet? huius enim rari summique voluptas
180 nulla boni, quoties animo corrupta superbo
plus aloes quam mellis habet. quis deditus autem

PR Arov. AFGHKLOTZ

163 intactior] sit castior *vel* sit sanctior *Markland* (*sed 'sit castior Sabinis' schol.*) || **166** ferat *L et Serv. Aen. 3,518* Venustinam *coni. Buecheler et habent Vat. Reg. 2029, Valent. 410* venusinam *PR lem. Arov. Φ* Vetustinam *Jessen* Venustillam *Weidner* || **169** numeros *Arov.* | in dote] indocte *FU²* || **170** tecum *Nisbet* precor *libri* procul *Burmannus et Marklandus* | vinctumque *Scholte et rec. nonnulli* || **172–177** *commode abesse posse admonuit Freeman* | dea pone *Graevius* depone *libri* || **175** extulit] abstulit *U²* | ipsamque *Marklandus* || **176** Latona (*auferendi casu*) *Scholte* | gentem *P¹ Arov. lem.* || **177** *versus Marklando suspectus* | niobene *P¹R Arov.* | albae *Arov.* || **178–83** *delebat Ribbeck* || **179** summi rarique *A¹ U²*

usque adeo est ut non illam quam laudibus effert
horreat inque diem septenis oderit horis?
Quaedam parva quidem, sed non toleranda maritis;
185 nam quid rancidius quam quod se non putat ulla
formosam nisi quae de Tusca Graecula facta est,
de Sulmonensi mera Cecropis? omnia Graece:
cum sit turpe magis nostris nescire Latine
hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
190 hoc cuncta effundunt animi secreta: quid ultra?
concumbunt Graece. dones tamen ista puellis:
tune etiam, quam sextus et octogesimus annus
pulsat, adhuc Graece? non est hic sermo pudicus
in vetula. quoties lascivum intervenit illud
195 *ζωὴ καὶ ψυχή,* modo sub lodice loquendis
uteris in turba. quod enim non excitat inguen
vox blanda et nequam? digitos habet. ut tamen omnes
subsidant pinnae, dicas haec mollius Haemo
quanquam et Carpophoro, facies tua computat annos.

PR Arov. AFGHKLOTZ

183 diem *PR Arov. AO* dies *Φ* || **184** *om. Gaybac. II et Ulm, damnavit Heinrich, qui v. 185* numquid *scribebat; pro* quidem *volebat* loquar *Eremita, quod in veteri codice se invenisse dixit Pontanus* || **185** randicius *Sang.* || **188** *versum damnavere Barthius et Marklandus et om. Gaybac. II et Ulm.* | magis] minus *Lubinus, Guietus* || **192** tunc *P¹R lem.* | *inde a* **194** *deest Arov.* || **194** interseris *Heinrich* || **195** modo ... **196** turba *delebat Heinrich* modo ... **198** subsidant pinnae *delebat Knoche* || **195** loquendis *Nisbet* ferendis *Housman* relictis *libri sine sensu* || **196–197** quod enim ... nequam *delebat Guietus, si recte intelligo* (*verba* 'quod enim ... digitos habet.' *vetulae tribuit Marklandus*) | excitat *GU* || **197** habet] valet *Heinrich* | vi tamen *P¹R* et tamen *H. Valesius* attamen *Heineccius* | subsideant *F* | subsident penes *H. Valesius* || **199** et *om. K¹U²*

200 Si tibi legitimis pactam iunctamque tabellis
non es amaturus, ducendi nulla videtur
causa, nec est quare cenam et mustacea perdas
labente officio crudis donanda, nec illud
quod prima pro nocte datur, cum lance beata
205 DACICVS et scripto radiat GERMANICVS auro.
si tibi simplicitas uxoria, deditus uni
est animus, summitte caput cervice parata
ferre iugum: nullam invenies quae parcat amanti.
ardeat ipsa licet, tormentis gaudet amantis
210 *et spoliis; igitur longe minus utilis illi*
uxor, quisquis erit bonus optandusque maritus.
nil unquam invita donabis coniuge, vendes
hac obstante nihil, nihil haec si nolit emetur;
haec dabit affectus: ille excludetur amicus
215 iam senior, cuius barbam tua ianua vidit.
testandi cum sit lenonibus atque lanistis
libertas et iuris idem contingat harenae,
non unus tibi rivalis dictabitur heres.
'pone crucem servo!' 'meruit quo crimine servus
220 supplicium? quis testis adest? quis detulit? audi:

PR Arov. AFGHKLOTZ

205 dacius *FL* | sculto *in margine notat Eremita, quam lectionem ex Pontani ad Macrobium notis acceperat;* scutilo *ipse Pontanus* || **206** sin tibi *forte melius*; si tibi (simplicitas uxoria!) deditus *interpungebat Ruperti* || **207** est] ⟨si⟩ est *Jacobs* || **208** invenias *F* || **209–211** *spurios esse vidit Ribbeck* || **210** *om.* $A^1 O^1$ || **213** obstante] hortante *O* | nollet *PRF* nolet *recc. nonnulli* || **214** excludetur *recc. nonnulli* excludet U^2 excludatur *cett, quod verbum uxori imperanti tribuunt edd.* || **216** *iterum adest U*

nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.'
'o demens! ita servus homo est? nil fecerit, esto:
hoc volo, sic iubeo: sit pro ratione voluntas.'
imperat ergo viro; sed mox haec regna relinquit
225 permutatque domos et flammea conterit; inde
avolat et spreti repetit vestigia lecti.
ornatas paulo ante fores, pendentia linquit
vela domus et adhuc virides in limine ramos.
sic crescit numerus, sic fiunt octo mariti
230 quinque per auctumnos, titulo res digna sepulcri.
Desperanda tibi salva concordia socru.
illa docet spoliis nudi gaudere mariti;
illa docet missis a corruptore tabellis
nil rude nec simplex rescribere; decipit illa
235 custodes aut aere domat. tunc corpore sano
advocat Archigenen onerosaque pallia iactat.
abditus interea latet et secretus adulter,
impatiensque morae silet et praeputia ducit.

PR AFGHKLOTUZ

221 nulli *coni. N. Heinsius* || 222 fecerit *PRAFLUZ* feceris *Φ* || 223 sit ... 224 viro *delebat Rose* || 224 viris *O* || 225 permultatque *P¹ U¹ lem.* *unde* persultatque *volebat Weidner* | repetens *dub. Marklandus* || 227–228 *versus commode abesse posse sensit Courtney, praeeunte Gruppio; ante 227 quaedam excidisse putavit De Jonge* || 228 et] vel *F* || 233–238 *delebat Guietus* || 235 tunc] aut *O* tum *Vat. 3286, quod recipit Knoche* || 236 iacta *R* || 237 *versum delebat Freeman, ex glossa 'latet adulter' ortum ratus* | et *om. P¹* | et secretus] et securus *Heinrich* his secretus *Jessen* accersitus *Marshall* || 238 *versum deesse in quibusdam libris dicit Probus Vallae et glossa in L; delendum esse vidit Freeman* | mora *P lem.* | silet *PRO* pallet *F* pavet *cett.* (*'metuit' glossat schol.*) sedet *Buecheler* ciet *vel* riget *Weidner* calet *De Jonge* | praeputia ducit *om. F* | ducit] discit *P² GKTZ*

scilicet exspectas ut tradat mater honestos
240 atque alios mores quam quos habet? utile porro
filiolam turpi vetulae producere turpem.
Nulla fere causa est in qua non femina litem
moverit; accusat Manilia, si rea non est.
componunt ipsae per se formantque libellos,
245 principium atque locos Celso dictare paratae.
Endromidas Tyrias et femineum ceroma
quis nescit? vel quis non vidit vulnera pali,
quem cavat assiduis rudibus scutoque lacessit
atque omnes implet numeros? dignissima prorsus
250 Florali matrona tuba – nisi si quid in imo
pectore plus agitat veraeque paratur harenae.
quem praestare potest mulier galeata pudorem
quae fugit a sexu, vires amat? haec tamen ipsa
vir nollet fieri, nam quantula nostra voluptas?
255 quale decus, rerum si coniugis auctio fiat,
balteus et manicae et cristae crurisque sinistri
dimidium tegimen! vel si diversa movebit
proelia, tu felix ocreas vendente puella.
hae sunt quae tenui sudant in cyclade, quarum
260 delicias et panniculus bombycinus urit.

PR Arov. AFGHKLOTUZ

239 exspectes *Marklandus* || **242–245** *versus huic loco vix congruere bene notat Courtney* || **247** vel *PALRU* aut *Φ* || **248** rudibus *PRF schol. et coni. Lipsius* sudibus *cett.* || **250** imo *Scholte et Hirschfeld* illo *libri* || **251** agitet *PR lem., rasura in U* || **252** *iterum adest Arov.* | 252–254 *versus Guieto suspecti* | praestare] servare *schol. Luc. 8,76 cf. ad. 6,287* || **254** nolet *F* || **256** tunicae *Serv. Aen. 10,496* || **259** hae *PRΦ* haec *FK Arov. Sang. nescio an recte, cf. 6,592*

aspice quo gemitu monstratos perferat ictus
et quanto galeae curvetur pondere, quanta
poplitibus sedeat quam denso fascea libro,
et ride positis scaphium cum sumitur armis.
265 dicite vos, neptes Lepidi caecive Metelli
Gurgitis aut Fabii, quae ludia sumpserit unquam
hos habitus, quando ad palum gemat uxor Asyli.
Semper habet lites alternaque iurgia lectus
in quo nupta iacet; minimum dormitur in illo.
270 tum gravis illa viro, tunc orba tigride peior,
cum simulat gemitus occulti conscia facti,
aut odit pueros aut ficta paelice plorat
uberibus semper lacrimis semperque paratis
in statione sua atque expectantibus illam
275 quo iubeat manare modo. tu credis amorem;
tu tibi tunc, uruca, places fletumque labellis

PR Arov. AFGHKLOTUZ

261 gemitu *Marklandus, quod exemplis firmat Scholte* fremitu *libri* || **262** curventur *Z Arov.*[2] cur*varunt *Arov.*[1] curvatur *F* || **264** et ridet *ROT schol.* | strophium *Manso nimis verecunde* | cum sumitur] consumitur *Arov.* || **267** Asylae *coni. Heinrich* || **270** tum *U* cum *PR Arov.*[1] *A* tunc *Φ* || **271** *versum delebat Hermann* | cum] tum *Guietus* || **273** semperque ... **275** modo *delere vult Knoche;* || **274–275** *iam Guietus et Ribbeck damnaverant* || **274** atque] tanquam *Weidner* iamque *Marklandus* | exspectantibus *PR Arov. AUZ* spectantibus *Φ* | illam] illas *H. Valesius* illa *Huschke, Marklandus* || **275** manare] manere *sollenni errore A*[1]*F*[1]*K* | amorem] amare *O* || **276** tunc *GRU lem. Arov. et in ras. P* tum *FK* tu *OZ* cum *AHT* nunc *L* | uruca *PR Arov. lem. schol.* curuca *Φ* urica *Salmasius, alii alia*

exsorbes, quae scripta et quot lecture tabellas,
si tibi zelotypae retegantur scrinia moechae!
sed iacet in servi complexibus aut equitis. dic,
280 dic aliquem, sodes, hic, Quintiliane, colorem.
'haeremus.' dic ipsa. 'olim convenerat,' inquit,
'ut faceres tu quod velles, nec non ego possem
indulgere mihi. clames licet et mare caelo
confundas: homo sum.' nihil est audacius illis
285 deprensis: iram atque animos a crimine sumunt.
Unde haec monstra tamen vel quo de fonte, requiris?
praestabat castas humilis fortuna Latinas
quondam, nec vitiis contingi parva sinebant
tecta, labor, somnique breves et vellere Tusco
290 vexatae duraeque manus ac proximus urbi
Hannibal et stantes Collina turre mariti.
nunc patimur longae pacis mala. saevior armis
luxuria incubuit victumque ulciscitur orbem.
nullum crimen abest facinusque libidinis ex quo
295 paupertas Romana perit. hinc fluxit ad istos

PR Arov. AFGHKLOTUZ

277 lectura $P^1 R Z^2$ lecturae *Arov.* || **278** retegantur ... moechae] legantur ... moechi P^1*R Arov. Sang.* | scrinia] crimina *F* || **279** *damnabat Ribbeck* || **280** hic *PR Arov. KZ* dic *Φ* (hic aliquem sodes dic ... *Heinrich*) || **281** dic] dici P^1*Arov.* || **282** tu quod] quod tu *O* | nec *PR Arov. FHT* ne *Φ* | possum P^1*R Arov.*^{1} *A* || **285** a *Φ et Gelas. PL 59,114 C* de *R et Dracont. Orest. trag. 234 et De Deo 3,461 om. P Arov. F* | crimina *K* || **287** praestabat *libri* servabat *Augustinus epp. 138 (PL 33,352) et schol. Lucani 1,550* || **288** sinebant P^1*R Arov.*^{1} sinebat *cett.* || **294** facinusque] faciesque *Vonckius* || **295** istos $K^1 U^1$ *et coni. Nogarola* indos P^1*R Arov.*^{1} ismos *Z* istros *cett.* | *post 295 versum unum excidisse putavit Housman*

et Sybaris colles, hinc et Rhodos et Miletos
atque coronatum et petulans madidumque Tarentum.
prima peregrinos obscena pecunia mores
intulit, et turpi fregerunt saecula luxu
300 divitiae molles. quid enim venus ebria curat?
inguinis et capitis quae sint discrimina nescit,
grandia quae mediis iam noctibus ostrea mordet,
cum perfusa mero spumant unguenta Falerno,
cum bibitur concha, cum iam vertigine tectum
305 ambulat et geminis exsurgit mensa lucernis.
i nunc et dubita qua sorbeat aera sanna
Maura, Pudicitiae veterem cum praeterit aram.
Tullia quid dicat, notae collactea Maurae.
noctibus hic ponunt lecticas, micturiunt hic
310 effigiemque deae longis siphonibus implent
inque vices equitant ac Luna teste moventur.
inde domos abeunt; tu calcas luce reversa
coniugis urinam magnos visurus amicos.
Nota Bonae secreta Deae, cum tibia lumbos
315 incitat et cornu pariter vinoque feruntur
attonitae crinemque rotant ululantque Priapi
maenades. o quantus tunc illis mentibus ardor

PR Arov. AFGHKLOTUZ

297 tarentus *P[1]R* || **301** *post* **305** *ponebat Guietus* || **304** vertice *P[1]R Arov.[1]* || **306** i nunc et] inunget *P[1]R Arov.[1]* inunguet *lem.* **307** *om. PR Arov., post* **308** *ponit K; insiticium esse agnovit Jahn, perquam docte def. Gnilka* | notae] nonae *O* || **310** implet *P[1]Arov.* || **311–339** *versuum initia tantum,* **340–368** *exitus tantum praebet Arov.* || **311** *damnavit Jahn ed. 2* || **312** obeunt *U* || **316** ululantque priapi *P[1]R lem.* ululante priapo *Φ* ululantque Priapum *Ruperti* ululantque Priapo *Bahrdt*

concubitus, quae vox saliente libidine, quantus
ille meri veteris per crura madentia torrens!
320 lenonum ancilla posita Saufeia corona
provocat ac tollit pendentis praemia coxae;
ipsa Medullinae fluctum crisantis adorat:
palma inter dominas, virtus natalibus aequa.
nil ibi per ludum simulabitur, omnia fient
325 ad verum, quibus incendi iam frigidus aevo
Laomedontiades et Nestoris hirnea possit.
tunc prurigo morae impatiens, tum femina simplex
ac pariter toto repetitus clamor ab antro:
'iam fas est: admitte viros!' dormitat adulter?
330 illa iubet sumpto iuvenem properare cucullo;
si nihil est, servis incurritur; abstuleris spem
servorum, veniet conductus aquarius. hic si
quaeritur et desunt homines, mora nulla per ipsam
quominus imposito clunem summittat asello.

PR Arov. AFGHKLOTUZ

318 saliente *Marklandus* saltante *libri* || **320** posita saufeia *F schol.* positas aut feta *P[1] R lem.* posita laufeia *vel sim. Φ* || **321** ac tollit *Jahn* attollit *P[1] R Arov.[1]* et tollit *Φ* || **322** fluctum *PAFR lem. schol. AF* frictum *LO* fructum *Φ* || **323** *versum delebat Dobree* | palma *PR lem. Arov.* palmam *Φ* | virtus] virus *Schrader, Bahrdt* | aequa *P[1] R* aequat *Φ* || **325** iam] tam *FZ* | aevo] aequo *R* || **326** hirnea *P Sang. F edd.* hernia *libri fere omnes* || **327** urigo *dub. Pricaeus* | tum *PR* tunc. *cett.* || **328** ac *P[1] R Arov.[1]* et *cett.* | pariter toto *PR Arov. ALU* toto pariter *cett.* | reperitus *P* repetitur *A* | clamor *ante* repetitus *ponit A* || **329** dormitat *Φ Prisc.* dormitet *F* si iam dormit *P lem.* si dormit *R* iam dormit *Pithoeus, lacunam post* viros *subesse suspicatus est Housman* || **330** procurare *U* || **332** veniet *Φ* venit et *PR lem.* veniat (*vox matronae imperantis*) *Marklandus*

335 *atque utinam ritus veteres et publica saltem*
his intacta malis agerentur sacra, sed omnes
noverunt Mauri atque Indi quae psaltria penem
maiorem quam sunt duo Caesaris Anticatones
illuc, testiculi sibi conscius unde fugit mus,
340 *intulerit, ubi velari pictura iubetur*
quaecunque alterius sexus imitata figuras.
et quis tunc hominum contemptor numinis, aut quis
simpuvium ridere Numae nigrumque catinum
et Vaticano fragiles de monte patellas
345 *ausus erat? sed nunc ad quas non Clodius aras?*
audio quid veteres olim moneatis amici:
'pone seram; cohibe.' sed quis custodiet ipsos
custodes? cauta est et ab illis incipit uxor.
iamque eadem summis pariter minimisque libido,
350 nec melior, silicem pedibus quae conterit atrum
quam quae longorum vehitur cervice Syrorum.

PR Arov. AFGHKLOTUZ

335–345 *damnavit Freeman* (*335–336 iam Heinrich et Ribbeck. 338–339 iam Scholte damnaverat*) || **337** penen *P*[1] *R lem.* || **338** caesares *P*[1] *lem.* || **339** illud *P*[1] *R Arov.*[1] *lem.* | testiculis sibi *P*[1] *R Arov.*[1] testiculis ibi *FUZ* | inde *P*[1] *R lem.* || **341** figuras *PR Arov.*[1] figura est *FGO* figuram est *Φ* || **342–345** *versus e loco proprio motos susp. Marklandus* || **342** numinis *om. R* || **343** simpulum *P*[1] *R Sang. lem.* sympubium *U* simpullum *Eremita* | Numae] numen *P*[1] *R Sang. lem.* | nigrumque *PRU Arov.*[1] *Sang. U* nigrumve *cett.* priscumque *Hadr. Junius,* Tuscumve *Dempster* || **345** claudius *PR Arov.* || **346–348** *damnavit M. Maas, unice genuinos esse ostendit Axelson* || **346** amice (*vocandi casu*) *Mark. sed* veteres *sine substantivo displicet* || **347** cohibe *Φ* prohibe *PR* || **349** *damnabat Ribbeck et om. p. m. in Flor. Ricc. 612*

Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
conducit comites, sellam, cervical, amicas,
nutricem et flavam cui det mandata puellam.
355 haec tamen argenti superest quodcunque paterni
levibus athletis et vasa novissima donat.
multis res angusta domi, sed nulla pudorem
paupertatis habet nec se metitur ad illam.
quem dedit haec posuitque modum. tamen utile quid sit
360 prospiciunt aliquando viri, frigusque famemque
formica tandem quidam expavere magistra:
prodiga non sentit pereuntem femina censum,
ac, velut exhausta recidivus pullulet arca
nummus et e pleno tollatur semper acervo,
365 non unquam reputat quanti sibi gaudia constent.
In quacunque domo vivit luditque professus
obscenum et tremula promittit omnia dextra,
invenies omnes turpes similesque cinaedis.

PR Arov. AFGHKLOTUZ

352 spectes *Sang.* || **353** conducunt [*Max. Vict.*] *gramm. VI 231,11* || **354** det] des P^1R^2 mandes R^1 || **357** domi] domi est *FLO* || **358** illam *Nisbet, qui Scholtium secutus versum languidissimum 359 exulare iussit* || **362** *post* **364** *ponebat Schurzfleisch* || **363–365** *dub. damanat Knoche* || **363** recidivus *Scioppius et Norimberg 6,19* redivivus *libri* || **364** tollatur semper *PR Arov. A* semper tollatur *Φ* || **365** *versum in quibusdam defuisse testatur Probus Vallae, delebat Schurzfleisch* | non unquam *Φ* non nusquam P^1 (*unde* non usquam *volebat Buecheler sibi impar*) || non nunquam *FRZ* | reputat *recc.* reputant *PRU* repetunt *Φ* | sibi *PR Arov. HKU* sua *Φ* | *post* **365** *sequuntur in O versus 34 qui in ceteris desunt, quos hic litteris inclinatis impressos exhibui; primus damnavit Buecheler; qui genuinos putant, aut hic aut post 345* (*Griffith, Luck, Martyn*) *ponunt* || **O2** tremula promittit et *volebat Housman, ipsum interpolatorem corrigens, alii alia*

his violare cibos sacraeque assistere mensae
O5 *permittunt et vasa iubent frangenda lavari*
cum colocyntha bibit vel cum barbata chelidon.
purior ergo tuis laribus meliorque lanista,
in cuius numero longe migrare iubetur
psillus ab eupholio. quid quid nec retia turpi
O10 *iunguntur tunicae nec cella ponit eadem*
munimenta umeri pulsatamque arma tridentem
qui nudus pugnare solet? pars ultima ludi
accipit as animas aliosque in carcere nervos.
sed tibi communem calicem facit uxor et illis
O15 *cum quibus Albanum Surrentinumque recusat*
flava ruinosi lupa degustare sepulcri.
horum consiliis nubunt subitaeque recedunt;
his languentem animum servant et seria vitae;
his clunem atque latus discunt vibrare magistris,
O20 *quicquid praeterea scit qui docet. haud tamen illi*
semper habenda fides: oculos fuligine pascit
distinctum croceis et reticulatus adulter.
suspectus tibi sit quanto vox mollior et quo
saepius in teneris haerebit dextera lumbis.
O25 *hic erit in tecto fortissimus: exuit illic*
personam docili Thais saltata Triphallo.

O solus (ceteri inde a 366)

O9 psellus *Housman* psyllus *Postgate* | euphono *Housman, Platt* euhoplio *Leo* euhoplo *Eden* || **O11** pulsata hastamque *Housman* pugionem hastamque *Eden, alii alia,* || **O13** as] has *Housman* | aliusque *Housman* || **O15** recuset *Platt* || **O18** servant] solvunt *vel* relevant *Housman* reserant *Axelson* versant (*dein* ad seria) *Eden* || **O25** tecto] lecto *Postgate*

quem rides? aliis hunc mimum. sponsio fiat.
purum te contendo virum. contendo. fateris?
an vocat ancillas tortoris pergula? novi
O34 *consilia et veteres quaecunque monetis amici:*
'pone seram; cohibe.' sed quis custodiat ipsos
custodes, qui nunc lascivae furta puellae
hac mercede silent? crimen commune tacetur.
prospicit hoc prudens et ab illis incipit uxor.
366 Sunt quas eunuchi imbelles ac mollia semper
oscula delectant et desperatio barbae
et quod abortivo non est opus. illa voluptas
summa tamen, quom iam calida matura iuventa
370 inguina traduntur medicis iam pectine nigro.
ergo exspectatos ac iussos crescere primum
testiculos, postquam coeperunt esse bilibres,
373 tonsoris tantum damno rapit Heliodorus.
373a *magonum pueros vera ac miserabilis urit*
373b *debilitas, follisque pudet cicerisque relicti.*
374 conspicuus longe cunctisque notabilis intrat
375 balnea nec dubie custodem vitis et horti
provocat a domina factus spado. dormiat ille
cum domina, sed tu iam durum, Postume, iamque
tondendum eunucho Bromium committere noli.

PR Arov. AFGHKLOTUZ

O31 cohibe *et* custodiet *ex v. 347 vulgo emendant* || **O32 s.** qui ... tacetur *habet schol. ad v. 347* || **367** despiratio *Sang. post* || **368** *deest Arov.* || **369** quom iam *Ribbeck* quod iam *libri* quando *Schraderus sed* quando *nusquam spondeus ap. Iuv.* || **371** spectatos *P¹R* || **372** bilibros *P¹Sang.* bilibri *R* || **373** tantum damno *Φ* damno tantum *PRA lem. Mico Sang.* || **373ab** *spurios versus exhibet solus O, primus damnavit Buecheler* | mangonum *Postgate* || **378** tundendum *P*

Si gaudet cantu, nullius fibula durat
380 vocem vendentis praetoribus. organa semper
in manibus, densi radiant testudine tota
sardonyches, crispo numerantur pectine chordae
quo tener Hedymeles operas dedit: hunc tenet, hoc se
solatur gratoque indulget basia plectro.
385 quaedam de numero Lamiarum et nominis Appi
et farre et vino Ianum Vestamque rogabat,
an Capitolinam deberet Pollio quercum
sperare et fidibus promittere. quid faceret plus
aegrotante viro, medicis quid tristibus erga
390 filiolum? stetit ante aram nec turpe putavit
pro cithara velare caput, dictataque verba
pertulit, ut mos est, et aperta palluit agna.
dic mihi nunc, quaeso, dic, antiquissime divum,
respondes his, Iane pater? magna otia caeli:
395 *non est, quod video, non est quod agatur apud vos.*
haec de comoedis te consulit, illa tragoedum
commendare volet: varicosus fiet haruspex.

PR Arov. AFGHKLOTUZ

381 in] iam *F* || **382** sardonice *F* | numerantur] pulsantur *vel* vibrantur *coni. Marklandus* || **384** grato] Graio *Marklandus* || **385** lamtarum *P[1] lem.* lamitarum *R* | Appi *F schol. et sic edidit Pithoeus* ap. *lem.* ap* *P* appae *R* alti *Φ* Aeli *N. Heinsius* || **386** et farre *P[1] RA* cum farre *Φ* || **389** -stibus erga *om. R* | aegro filiolo *Marklandus* || **390** putabit *P[1] FOU[1]* || **391** citataque *K[1]* || **392** protulit *K et coni. Dorleans, sed cf. 6,261* perferat *et 7,153* perferet || **393** nunc quaeso dic] dic quaeso nunc *K* | divom *U Knoche* || **395** quod video *PRT* ut video *cett., Ennod. ep. 1,3 (PL 63,16B); versum damnavit Herwerden* || **396–448** *legi nequit G* || **396–397** *damnat Knoche, post* **399** *ponit U*

Sed cantet potius quam totam pervolet urbem
audax et coetus possit quae ferre virorum
400 cumque paludatis ducibus praesente marito
ipsa loqui recta facie siccisque mamillis.
haec eadem novit quid toto fiat in orbe,
quid Seres, quid Thraces agant, secreta novercae
et pueri, quis amet, quis diripiatur adulter;
405 dicet quis viduam praegnantem fecerit et quo
mense, quibus verbis concumbat quisque, modis quot.
instantem regi Armenio Parthoque cometen
prima videt, famam rumoresque illa recentes
excipit ad portas; quosdam facit: isse Niphaten
410 in populos magnoque illic cuncta arva teneri
diluvio, nutare urbes, subsidere terras
quocunque in trivio, cuicunque est obvia, narrat.
nec tamen id vitium magis intolerabile quam quod
vicinos humiles rapere et concidere loris
415 experrecta solet. nam si latratibus alti

PR AFGHKLOTUZ

398–412 *damnavit Ribbeck* || **399** possit quae *P¹RA²KO* possit quam *R* quae possit *O* quae posset *A¹L¹Z* possetquae *Φ* || **401** siccisque] strictisque *LU²* rectisque *vel* exsertisque *C. Valesius* (*exsertisque etiam Marklandus*) || **404** diripiatur *P¹R lem. schol.* dicipiatur *U* decipiatur *Φ* || **405** *sub* viduam *latere nomen proprium susp. Marklandus* | fecerat *L* || **406** concumbit *Z¹* || **407** cometem *P¹R lem. ALU* || **408** famamque *LO* || **409** quosdam ⟨et⟩ facit *DeJonge* | nimphatem *P¹ lem.* niphatem *RAU* || **410** illic] illi *A* | arma *P¹R* || **413** *damnavit Ribbeck* | id] hoc *L* | quod *Φ* quae *P¹R* quo *Schrader* || **415** experrecta *Duff* exortata *PH* exorata *RΦ schol.* exornata *Eremita* mane exorta *Eden* exsecrata *Martyn loco adhuc corrigendo*

rumpuntur somni, 'fustes huc ocius.' inquit,
'afferte,' atque illis dominum iubet ante feriri,
deinde canem. gravis occursu, taeterrima vultu
balnea nocte subit, conchas et castra moveri
420 nocte iubet, magno gaudet sudare tumultu
cum lassata gravi ceciderunt bracchia massa,
callidus et cristae digitos impressit aliptes
ac summum dominae femur exclamare coegit.
convivae miseri interea somnoque fameque
425 urgentur. tandem illa venit rubicundula, totum
oenophorum sitiens, plena quod tenditur urna
admotum pedibus, de quo sextarius alter
ducitur ante cibum, rabidam facturus orexin,
dum redit et loto terram ferit intestino.
430 marmoribus rivi properant, aurata Falernum
pelvis olet; nam sic, tanquam alta in dolia longus
deciderit serpens, bibit et vomit. ergo maritus
nauseat atque oculis bilem substringit opertis.
Illa tamen gravior, quae cum discumbere coepit
435 laudat Vergilium, periturae ignoscit Elissae,
committit vates et comparat – inde Maronem
atque alia parte in trutina suspendit Homerum.
cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis

PR AFGHKLOTUZ

423 ac] nec *legisse videtur schol.* || **427–455** *versuum initia praebet Arov.* || **428** rapidam *RAU*[1] | orexim *P*[1]*RKU*[2] || **429** et loto terram *P*[1]*R Arov.* et luto terram *A* et terram lotio *O* et terramque luto *FH*[2]*Z* et terram luto *Φ* || **430** aurata *P*[1]*R lem.* aut lota *K*[1]*O* aut lata *Φ* abluta *Schurzfleisch* | falerno *U* || **431** olet] solet *P*[1]*Arov.* || **433** nausiat *P*[1]*R Arov. lem. F* || **436** committat *lem.* || **437** *in hoc versu desinit R* | trutinae *Nisbet*

turba tacet, nec causidicus nec praeco loquetur,
440 altera nec mulier. verborum tanta cadit vis:
tot pariter pelves ac tintinnabula dicas
pulsari. iam nemo tubas, nemo aera fatiget:
una laboranti poterit succurrere Lunae.
imponit finem sapiens et rebus honestis.
445 *nam quae docta nimis cupit et facunda videri,*
crure tenus medio tunicas succingere debet,
caedere Silvano porcum, quadrante lavari.
non habeat matrona, mihi quae iuncta recumbit,
dicendi genus, aut curvum sermone rotato
450 torqueat enthymema, nec historias sciat omnes,
sed quaedam ex libris et non intelligat. odi
hanc ego quae repetit volvitque Palaemonis artem
servata semper lege et ratione loquendi
ignotosque mihi tenet antiquaria versus.
455 haec curanda viris? opicae castiget amicae
verba: soloecismum liceat fecisse marito.
Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
cum virides gemmas collo circumdedit et cum
auribus extentis magnos commisit elenchos.

P Arov. AFGHKLOTUZ

442 nemo *alterum P* atque *cett.* | fatigat *A U*[1] || **444–447** *delevi* (*444 iam Heinrich deleverat et 445–447 post 456 posuerat*) || **446** tunicam *L* || **448** mihi *Marklandus* (*cf. Eurip. Hippol. 640 et. Mart. ep. 5.90,9*) tibi *libri* | recumbet *K* || **449** curtum *N. Heinsius, Eremita* || **452** qua *P* || **455** haec curanda viris? *Postgate* (*post* viris *distinxit Housman, priores post* versus) | castiget *Ribbeck et Vat. Ottob. 1471,* castigata *P*[1] *lem.* castigat *cett.* || **456–485** *versuum exitus praebet Arov.* || **458** cum ... cum] dum ... dum *Weidner* || **459** extentis *PA*[1] extensis *Φ*

460 *intolerabilius nihil est quam femina dives.*
interea foeda aspectu ridendaque multo
pane tumet facies aut pinguia Poppaeana
spirat et hinc miseri viscantur labra mariti.
ad moechum lota veniet cute. quando videri
465 vult formosa domi? moechis foliata parantur,
his emitur quicquid graciles huc mittitis Indi.
tandem aperit vultum et tectoria prima reponit;
incipit agnosci, atque illo lacte fovetur
propter quod secum comites educat asellas,
470 exul Hyperboreum si dimittatur ad axem.
sed quae mutatis inducitur atque fovetur
tot medicaminibus coctaeque siliginis offas
accipit et madidae, facies dicetur an ulcus?
Est pretium curae penitus cognoscere toto
475 quid faciant agitentque die. si nocte maritus
aversus iacuit, periit libraria, ponunt

P Arov. AFGHKLOTUZ

460 *versum delevit Paldamus; post* **460** *quaedam excidisse putavit Teuffel* || **461–463** *post* **446** *collocabat Madvig* || **461** interea] in terris *Housman* || **464–466** *post* **473** *ponebat Gonsales, post* **470** *Ruperti* || **464** veniet *Raphelengius in edit. an. 1600 et coni. Marklandus* veniunt *libri* || **466** huc] hic *P*[1] *Arov.*[1] *lem.* || **468** atque] *fort.* iamque || **469** secum] centum *Barthius non inepte* | educat *Housman* educit *libri, quod iure damnat Courtney* educet *Jahn* || **471–473** *Iuvenale vix digni videntur, et* fovetur *repetitum displicet; pro* fovetur *v. 471 legit* novatur *Nisbet* || **471** quae mutatis] qui conductis *Augustinus Reg. gramm. 5. 497,22* || **473** accipite facies madidae *P*[1] *lem.* *unde* accipit haec facies madidae *Eremita* || **474** est pretium curae *PFOUZ* est pretium *T* est operae pretium *cett.* est operae, curas *Schurzfleisch* | cognoscere] cogitur cognoscere *P Arov.*[1] || **476** adversus *FU*[1]

cosmetae tunicas, tarde venisse Liburnus
dicitur et poenas alieni pendere somni
cogitur; hic frangit ferulas, rubet ille flagello.
480 *hic scutica; sunt quae tortoribus annua praestent.*
verberat atque obiter faciem linit, audit amicas
aut latum pictae vestis considerat aurum
et caedit; longi relegit transversa diurni
et caedit, donec lassis caedentibus 'exi'
485 intonet horrendum iam cognitione peracta.
praefectura domus Sicula non mitior aula;
nam si constituit solitoque decentius optat
ornari et properat iamque exspectatur in hortis,
aut apud Isiacae potius sacraria lenae,
490 disponit crinem laceratis ipsa capillis
nuda umeros Psecas infelix nudisque mamillis.
'altior hic quare cincinnus?' taurea punit
continuo flexi crimen facinusque capilli.

P Arov. AFGHKLOTUZ

479 flagello P^1*Arov.G* flagellis *cet.* || **480** *versum delevit Scholte; cf. Horat. serm. 1. 4,119*; *versus hoc ordine ponebat Schurzfleisch: 480, 485–486, 481, 483, 482, 484* | scytḥica P^1 *lem.* U^1 || **483** *om.* H^1 *et recc. aliquot* | et caedit] assidue *Schrader* stare iubens *Withof* || **484** *ab hoc versu deest Arov.* || **485** *delebat Scholte* || **486** praefectura P^1 *lem.* GK^2 perfectura *A* profectura *cett.* | domus P^1G^1 domos *U* domo *cett.* (processura domo *Schurzfleisch*) || **490** disponit P^1A^1GU *lem. schol.* componit *Φ et sic explicat schol.* || **491** umeros AK^2, *et coni. Oudendorp, Marklandus* umero *cett, unde* nudo umero *voluit Ruperti* | specas P^1A, *litteris Graecis scripturiunt cett.* || **493** flexi] fluxi *Barthius* dextri *Marklandus* | crimen] crinem PZ^1

quid Psecas admisit? quaenam est haec culpa puellae,
495 si tibi displicuit nasus tuus? altera laevum
extendit pectitque comas et volvit in orbem.
est in consilio materna admotaque lanis
emerita quae cessit acu; sententia prima
huius erit, post hanc aetate atque arte minores
500 censebunt, tanquam famae discrimen agatur
aut animae: tanta est quaerendi cura decoris.
tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
aedificat caput: Andromachen a fronte videbis,
post minor est: credas aliam. cedo si male parvi
505 sortita est lateris spatium breviorque videtur
virgine Pygmaea nullis adiuta coturnis
et levis erecta consurgit ad oscula planta.
Nulla viri cura interea nec mentio fiet
damnorum; vivit tanquam vicina mariti,
510 hoc solo propior, quod amicos coniugis odit
et servos, gravis est rationibus. ecce furentis

P AFGHKLOTUZ

494–496 *quasi actum agentes expellebat Guietus* || **494** psecas *PGK²U* secas *A, litt. graecis cett.* || **495** laevum] leves *Herwerden* || **496** flectitque *Almelovenius* || **497** matrona *KOU²* | amotaque *dub. Pithoeus et sic habent Z² et recc. aliquot* || **498** cesset *FOVZ* cessit *K* || **501** tanta *P¹FGK¹L²schol.* tanti *Φ* || **504** minor] *nomen proprium flagitari putat Weidner* | cedo] credo *P¹* sed *Marklandus* | si male parvi *Castiglioni, collato Hor. serm. 1. 3,45* si breve parvi *libri; repetitio* breve ... breviorque *iam Jortino displicuerat; verba* cedo si ... spatium *eiciebat Guietus* || **505** est *om. O* || **510** coniungit (git *in ras.*) *P* coniugit *F* || **511** gravis est] gravi *P¹G* graves est *F* gravis *T* gravior *Buecheler*

Bellonae matrisque deum chorus intrat et ingens
semivir, obsceno facies reverenda minori,
mollia qui rapta secuit genitalia testa
515 iam pridem, cui rauca cohors, cui tympana cedunt
plebeia et Phrygia vestitur bucca tiara.
grande sonat metuique iubet Septembris et austri
adventum, nisi se centum lustraverit ovis
et xerampelinas veteres donaverit ipsi,
520 ut quicquid subiti et magni discriminis instat
in tunicas eat et totum semel expiet annum.
hibernum fracta glacie descendet in amnem;
ter matutino Tiberi mergetur et ipsis
verticibus timidum caput abluet; inde superbi
525 totum regis agrum nuda ac tremebunda cruentis
erepit genibus; si candida iusserit Io,
ibit ad Aegypti finem calidaque petitas
a Meroe portabit aquas, ut spargat in aede
Isidis, antiquo quae proxima surgit ovili.
530 *credit enim ipsius dominae se voce moneri.*
en animum ac mentem cum qua di nocte loquantur!
ergo hic praecipuum summumque meretur honorem

P AFGHKLOTUZ

513 reveranda *P* *unde haud scio an* veneranda *legendum sit* || **514** rupta *Ruperti* rubra (*i. e. Samia*) *H. Valesius* || **518** nisi *om.* P^1 || **519** veteres] vestes AK^2LU^1 || **521** ipsi] igni *Canterus et H. Valesius* || **522** descendat *U schol.* descendit FG^1KL || **526** ereptet *P* erep*et *G* eripit *F* ut repet *U* erumpit *Z* || **527** *versum om. T* | calidaque P^2GK calidasque *Φ* || **528** potabit P^1G | aede P^1A *Uschol.* aedem *Φ* || **530** *versum damnavit Paldamus* || **531** animum *Scholte et Marklandus coll. 15,149, Verg. Aen. 1,304 et 6,11* animam *libri*

qui grege linigero circumdatus et grege calvo
plangentis populi currit derisor Anubis.
535 ille petit veniam, quoties non abstinet uxor
concubitu sacris observandisque diebus,
magnaque debetur violato poena cadurco
et movisse caput visa est argentea serpens:
illius lacrimae meditataque murmura praestant
540 ut veniam culpae non abnuat ansere magno
scilicet et tenui popano corruptus Osiris.
cum dedit ille locum, cophino fenoque relicto
arcanam Iudaea tremens mendicat in aurem,
interpres legum Solymarum et magna sacerdos
545 arboris ac summi fida internuntia caeli.
implet et illa manum, sed parcius; aere minuto
qualiacunque voles Iudaei somnia vendunt.
spondet amatorem tenerum vel divitis orbi
testamentum ingens calidae pulmone columbae
550 tractato Armenius vel Commagenus haruspex;
pectora pullorum rimabitur, exta catelli
interdum et pueri; faciet quod deferat ipse.

P AFGHKLOTUZ

533 linigero *P² K, sicut coni. N. Heinsius* lanigero *cett.* | circumdatur *U* || **537** cadurco *P¹ FG¹ Probus Vallae et frag. Bob.* caduco *KT* caduceo *Φ* || **538** et] ut *Reitzenstein, qui sic interpungebat:* cadurco. ut ... serpens illius *e. q. s.* || **539** lacrimae *P¹ G¹ OZ, sicut coni. Marklandus* lacrimas *U* lacrimis *Φ* || **541** popano *P¹ FG¹ Mico* pepano *U* pepono *Φ* || **542** phanoque *PG¹* || **543** arcana *H Sang.* arcanum *voluit Heinrich* || **546** manum sed] manus et *P¹ G¹* manus *etiam lemma Sangallense* || **547** somnia] omnia *P¹* || **551** rimabitur *P¹ GK¹* rimabitur et *T¹* rimatur et *Φ* || **548** pueri *suspectum: requiritur aliquid quod rideamus, non quod detestemur* || **552** ipsa *Marklandus*

Chaldaeis sed maior erit fiducia: quicquid
dixerit astrologus, credent a fonte relatum
555 Hammonis, quoniam Delphis oracula cessant
et genus humanum damnat caligo futuri.
praecipuus tamen est horum, qui saepius exul:
cuius amicitia conducendaque tabella
magnus civis obit et formidatus Othoni.
560 inde fides arti, sonuit si dextera ferro
laevaque, si longe castrorum in carcere mansit .
nemo mathematicus genium indemnatus habebit,
sed qui paene perit, cui vix in Cyclada mitti
contigit et parva tandem caruisse Seripho.
565 consulit ictericae lento de funere matris,
ante tamen de te Tanaquil tua, quando sororem
efferat et patruos, an sit victurus adulter.
post ipsam: quis enim maius dare numina possunt?
Haec tamen ignorat quid sidus triste minetur
570 Saturni, quo laeta Venus se proferat astro,
quis mensis damnis, quae dentur tempora lucro.

P AFGHKLOTUZ

553 sed] et *PFGZ* || 554 fonte P^2F *schol. Stat. Theb. 3,476* fronte *cett.* || 557 est horum] horum hic est *AL* | *post* 557 *unum versum excidisse putavit Knoche* || 558 s. *om.* P^1F^1G, *tacet schol.: insiticios esse agnovit Hermann, cf. Ribb. p. 166* || **560 s.** *versus damnavit Ribbeck; alterius versionis vestigia agnoscebat Leo* || 560 artis $PAGK^2O$ || 561 longe *O et coni. Buecheler* longa *P* longo *Φ* || 563 cyclada *PG lem.* cyclade *Φ* || 564 latuisse *Schrader, quod exemplis firmat Scholte* iacuisse *Nisbet* || 565 hictetrice PFG^1LO *et lemma Sangallense* || 568 *versum sane superfluum damnavit Nisbet* || 569 haec *Φ* hic *FZ* nec *PA lem.* | ignorat *Φ* ignorant *PFGT schol. et sic edidit Knoche fort. recte* ignoret *coni. Marklandus* || 571 quis P^1U quid *G* *qui cett.* | damnos P^1G^1 damno AK^1 | dantur temporalia lucra P^1

illius occursus etiam vitare memento,
in cuius manibus ceu pinguia sucina tritas
cernis ephemeridas, quae nullum consulit et iam
575 consulitur, quae castra viro patriamve petente
non ibit pariter numeris revocata Thrasylli.
ad primum lapidem vectari cum placet, hora
sumitur ex libro; si prurit frictus ocelli
angulus, inspecta genesi collyria poscit;
580 aegra licet iaceat, capiendo nulla videtur
aptior hora cibo nisi quam dederit Petosiris.
si mediocris erit, spatium lustrabit utrinque
metarum et sortes ducet frontemque manumque
praebebit vati crebrum poppysma roganti.
585 divitibus responsa dabunt Phryx augur et Indus
conductus, dabit astrorum mundique peritus
atque aliquis senior qui publica fulgura condit.
plebeium in circo positum est et in aggere fatum.
quae nudis longum ostendit cervicibus aurum

P AFGHKLOTUZ

573 succina *U lem.* || **575** patriamve *Jacobs et H. Valesius et Marklandus* (*cf. 'ad castra … peregrinamve patriam' schol.*) patriamque *libri* | petente *PAGHKT* petenti *FLOUZ* || **581** dederat *Sang, post 581 ponebat 585–587 Ruperti, lacunam statuit Weidner* || **582–584** *a Iuvenale scriptos, dein pro eis 589–591 ab ipso illatos putavit Teuffel* || **582** utrimque PG^1 utrumque Φ || **584** roganti] sonanti *Manso, quod recepit Ruperti* rogantem *dub. Knoche* || **585** dabunt P^1G feret H^1LO dabit Φ | indus *recc. nonnulli non inepta divinatione* inde *libri* Indi *Ribbeck, qui v. 586 delebat; post* inde *versum unum excidisse putavit Housman* || **588** *versum damnavit Nisbet* || **589** nudis] nullis *Salmasius* | aurum] armum *Madvig* annum *Is. Vossius* atrum *Killeen, 'versus melius abesset' Knoche*

590 consulit ante falas delphinorumque columnas
an saga vendenti nubat caupone relicto.
Hae tamen et partus subeunt discrimen et omnes
nutricis tolerant fortuna urgente labores;
sed iacet aurato vix ulla puerpera lecto:
595 tantum artes huius, tantum medicamina possunt,
quae steriles facit atque homines in ventre necandos
conducit. gaude, infelix, atque ipse bibendum
porrige quicquid erit; nam si distendere vellet
et vexare uterum pueris salientibus, esses
600 Aethiopis fortasse pater, mox decolor heres
impleret tabulas nunquam tibi mane videndus.
Transeo suppositos et gaudia votaque saepe
ad spurcos decepta lacus, saepe inde petitos
pontifices, salios Scaurorum nomina falso
605 corpore laturos. stat Fortuna improba noctu
arridens nudis infantibus: hos fovet ulnis
involvitque sinu, domibus tunc porrigit altis
secretumque sibi mimum parat; hos amat, his se
ingerit utque suos semper producit alumnos.
610 Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit
philtra, quibus valeat mentem vexare mariti
et solea pulsare nates. quod desipis, inde est;

P AFGHKLOTUZ

591 saca *P¹ lem.* || **592–594** *post* **602** *collocat G¹* || **592** haec *PG K¹OU lem.* hae *Φ* || **596** sterilem *K* || **599** salientibus] psallentibus *F* || **603** decerpta *coni. Hermann* | atque] saepe *GK* sepeque *U* atque *ΦP²* a**** *P¹* || **604** salios] alios *P¹G¹* || **606** ulnis *coni. Marklandus, quod quasi suum profert Heinrich,* omni *P¹FG¹* omnes *Φ* || **609** utque] atque *ALU* || **611** valeant *U*

inde animi caligo et magna oblivia rerum
quas modo gessisti. tamen hoc tolerabile, si non
614a *semper aquam portes rimosa ad dolia, semper*
614b *istud onus subeas ipsis manantibus urnis*
614c *quo rabidus nostro Phalarim de rege dedisti*
615 et furere incipias, ut avunculus ille Neronis
cui totam tremuli frontem Caesonia pulli
infudit. quae non faciet quod principis uxor?
ardebant cuncta et fracta compage ruebant
non aliter quam si fecisset Iuno maritum
620 insanum. minus ergo nocens erit Agrippinae
boletus, siquidem unius praecordia pressit
ille senis tremulumque caput descendere iussit
in caelum et longa manantia labra saliva.
haec poscit ferrum atque ignes, haec potio torquet,
625 *haec lacerat mixtos equitum cum sanguine patres.*
tanti partus equae, tanti una venefica constat.
Oderunt natos de paelice; nemo repugnet,
nemo vetet, iamiam privignum occidere fas est.

P AFGHKLOTUZ

614abc *misere spurios versus hic habet U, post* **601** *ponit K, in antiquissimo codice se legisse testatur Valla et Probo notos fuisse, om. cett.; quasi alteram versionem explicat Leo, Iuvenalis esse sed alieno loco positos putavit Housman* || **614c** quo *vulgo edunt* quod *libri* | abidus *U* || **615** et furere] effurere *U* | avunculis $P^1A^1G^1$ || **622** conscendere *Scholte* ascendere escendere *alii metris in malam crucem dimissis* || **623** longa ... saliva PA^1FGK^1 *lem.* longam salivam *Φ* || **624–626** *damnavit Jachmann* || **626** tanti una PG^1 *schol.* quantum una *Φ* | benefica PG^1H^1 || **627** repugnat *coni. Marklandus* || **628** vetat *U et coni. Marklandus, qui interrogationis notam post* fas est *ponebat*

vos ego, pupilli, moneo, quibus amplior est res,
630 custodite animas et nulli credite mensae:
livida materno fervent adipata veneno.
mordeat ante aliquis quicquid porrexerit illa
quae peperit, timidus praegustet pocula papas.
fingimus haec altum Satura sumente coturnum
635 scilicet, et finem egressi legemque priorum
grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu,
montibus ignotum Rutulis caeloque Latino?
nos utinam vani! sed clamat Pontia, 'feci,
confiteor, puerisque meis aconita paravi,
640 quae deprensa patent. facinus: tamen ipsa peregi.'
tune duos una, saevissima vipera, cena?
tune duos? 'septem, si septem forte fuissent.'
credamus tragicis quicquid de Colchide torva
dicitur et Procne; nil contra conor. et illae
645 grandia monstra suis audebant temporibus, sed
non propter nummos. minor admiratio summis
debetur monstris, quoties facit ira nocentem

P AFGHKLORTUZ

629 ego]equo *P¹* *unde* quoque *Duff* || **632–633** *om. PG, tacet schol., in quibusdam deese notavit Probus Vallae, spurios esse viderunt Guietus, Paldamus* || **635** et finem egressi *PAFGHU* egressi et finem *cett.* || **636** carmen] crimen *U, sicut coni. Marklandus haud scio an recte* (*'bacchari' c. acc. alibi non reperitur*) || **637** rutilis *AGU* || **639** *versum delebat Ruperti prima editione, si Heinrichio credendum* || **640** *cum Jahnio interpunxi versum alioquin delendum; pro* tamen *voluere* tantum *Guietus, Heinrich* calidum *Jacobs* || **643** tragicis *PAFGHU* magicis *cett.* | saeva *recc. aliquot* taetra *Burmannus* || **647** monstris] noxis *dub. Nisbet* | nocentem || *Φ* nocentes *P¹GTU*

hunc sexum et rabie iecur incendente feruntur
praecipites, ut saxa iugis abrupta, quibus mons
650 subtrahitur clivoque latus pendente recedit.
illam ego non tulerim quae computat et scelus ingens
sana facit. spectant subeuntem fata mariti
Alcestim et, similis si permutatio detur,
morte viri cupiant animam servare catellae.
655 occurrent multae tibi Belides atque Eriphylae
mille, Clytaemestram nullus non vicus habebit.
hoc tantum refert, quod Tyndaris illa bipennem
insulsam et fatuam dextra laevaque tenebat;
at nunc res agitur tenui pulmone rubetae,
660 sed tamen et ferro, si praegustarit Atrides
Pontica ter victi cautus medicamina regis.

P AFGHKLOSTUZ

648 rabiem $P^1 G$ et rabiem *F* et rabie *Φ* | incendente] impendere $P^1 G^1$ || **652** fata] et fata $P^1 G^2$ et fama G^1 || **653** alcestim P^1 *lem.* $G^1 F H^1$ alcestem *Φ* || **654** servare] spectare *A* || **656** mille *Housman* mane *libri* || **657** bipenni *legendum versumque 658 eiciendum suspicatur Nisbet* || **658** invisam $G^2 K^1$ || **659** at] et $P^2 H^1$ || **660** praegustarit *coni. Marklandus* (*cf. 'manducaverit' schol.*) *et sic habet Monac. 14466,* praegustabit P^1 *lem.* *G* praegustavit *U* praegustaret *Φ* | atridas *F*

SATVRA SEPTIMA

Et spes et ratio studiorum in Caesare tantum:
solus enim tristes hac tempestate Camenas
respexit, cum iam celebres notique poetae
balneolum Gabiis, Romae conducere furnos
5 temptarent, nec foedum alii nec turpe putarent
praecones fieri, cum desertis Aganippes
vallibus esuriens migraret in atria Clio.
nam si Pieria quadrans tibi nullus in umbra
ostendatur, ames nomen victumque Machaerae
10 et vendas potius commissa quod auctio vendit
stantibus, oenophorum, tripodes, armaria, cistas,
Alcithoen Pacci, Thebas et Terea Fausti.
hoc satius quam si dicas sub iudice 'vidi'
quod non vidisti: faciant equites Asiani,

P AFGHKLOTUZ

1 cessare *P¹FH¹* || 2 hac] ac *P¹G* || 3 celebres notique *PAG* multi celebresque *LZ* noti celebresque *cett.* || 4 gabis *P¹G* cabiis *F* | fornos *P¹ lem. G* || 6 aganippae *F* || 7 ballibus *PG¹* || 8 umbra *P¹GU* arca *cett.* || 9 amens *P¹* | vicumque *P¹GU* | magiri *coni. Heinrich* || 10 commista *ed. pr.* | quot *Scholte* || 11 tripedes *PG¹* ripides *F* || 12 alcithoen *GO et coni. Rutgersius* alcitheon *P¹ lem.* alcionen *AL* alcinoen *vel sim. Φ*, Halcyonem *C. Valesius* | pacci *P¹ lem.* bac(c)hi *cett.* Bassi *C. Valesius* || 14–16 *'versus spurios notavit Guietus' ait Marollius, sed suspicor G. de vv. 15–16 cogitasse*

15 *quanquam et Cappadoces faciant equitesque Bithyni*
altera quos nudo traducit gallica talo.
Nemo tamen studiis indignum ferre laborem
cogetur posthac, nectit quicunque canoris
eloquium vocale modis laurumque momordit.
20 hoc agite, o iuvenes! circumspicit et stimulat vos
materiamque sibi ducis indulgentia quaerit.
si qua aliunde putas rerum exspectanda tuarum
praesidia atque ideo croceae membrana tabellae
impletur, lignorum aliquid posce ocius, et quae
25 componis dona Veneris, Telesine, marito,
aut claude et positos tinea pertunde libellos.
frange, miser, calamos vigilataque proelia dele,
qui facis in parva sublimia carmina cella,
ut dignus venias hederis et imagine macra.
30 spes nulla ulterior: didicit iam dives avarus

P AFGHKLOTUZ

15 *versum del. Pinzger;* -que *om. F, quam particulam post* faciant *ponebat F. V. Fritzsche, qui et 15 post 16 collocabat; contra Hermannus v. 14* equites Bithyni, *v. 15* equites Asiani *legebat;* ⟨et⟩ *post* Bithyni *addebat Marklandus* || **16** altera] albida *Leo,* aurea *Knoche* | gallica *PGU lem. et coni. Rutgers* gallia *Φ schol.* | *post v. 16 aut titulus* DE STERILITATE STVDIORVM *aut spatium titulo idoneum relictum est in PFLVZ* || **18** posthaec *FKZ* | canores *P¹* || **20–21** *damnavit Guietus* | o *om. P¹* | vos *P¹FG* nos *Φ* || **22** exspectanda *Φ* spectanda *P* experanda *ms. BM Burn. 192 unde* speranda *coni. Housman* (*'si ... speras' schol.*) || **23** croceae ... tabellae *Φ* crocea ... tabellae *P¹* crocea ... tabella *F* || **24** impletur *Φ* implentur *P¹ lem.schol.* | posce ocius et quae] poscas tibi iamque *A* || **25** componis *PA¹GU* consoribus *F* conscribis *Φ* || **27** calamum *P¹* calamos *Φ* || **30** iam] nam *recc. nonnulli*

tantum admirari, tantum laudare disertos,
ut pueri Iunonis avem. sed defluit aetas
et pelagi patiens et cassidis atque ligonis.
taedia tunc subeunt animos, tunc seque suamque
35 Terpsichoren odit facunda et nuda senectus.
Accipe nunc artes: ne quid tibi conferat iste
quem colis et Musarum et Apollinis aede relicta,
ipse facit versus atque uni cedit Homero
propter mille annos; tu si dulcedine famae
40 succensus recites, maculosas commodat aedes.
haec longe ferrata domus servire iubetur,
in qua sollicitas imitatur ianua porcas.
scit dare libertos extrema in parte sedentes
ordinis et magnas comitum disponere voces.
45 nemo dabit regum quanti subsellia constant
et quae conducto pendent anabathra tigillo
quaeque reportandis posita est orchestra cathedris.
Nos tamen hoc agimus tenuique in pulvere sulcos
ducimus et litus sterili versamus aratro.

P Arov. AFGHKLOTUZ

32 sed] si *fort. legendum* || **35** facunda et nuda] facundae inunda P^1 || **36 s.** *distinxit Madvig; priores comma post* artes *posuere* || **38** ipsa P^1 || **39** tu *coni. Hermann* et *P* at *G* ac *U* aut *Φ* sed *coni. Marklandus* || **40** recitet *Eremita somnians* | maculosas *Heinrich* maculonis P^1 *G Buecheler, qui quasi proprium accepit* maculosos *F* maculonus *Φ* maculantis *Leo* (*'alii: sordibus dixit. alii: pictas' schol., ubi 'aut sordidas dixit aut pictas' legebat Schopen*) || **41** haec $P^1 G^1$ ac *cett.* || **42** porcas *Jessen* portas *libri* || **45** quantis subsella constat P^1 || **46** anabitra P^1 anabethra *H. Valesius* || **48** tenuisque P^1, *quod probavit Jahn in ed. 1*

50 nam si discedas, *laqueo tenet ambitiosi*
consuetudo mali, tenet insanabile multos
scribendi cacoethes et aegro in corde senescit.
sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
qui nihil expositum soleat deducere, nec qui
55 communi feriat carmen triviale moneta,
hunc, qualem nequeo monstrare et sentio tantum,
anxietate carens animus facit. omnis acerbi
impatiens, cupidus silvarum aptusque bibendis
fontibus Aonidum. neque enim cantare sub antro
60 Pierio thyrsumque potest contingere maesta
paupertas atque aeris inops, cum nocte dieque
corpus eget: satur est cum dicit Horatius 'euhoe!'
quis locus ingenio, nisi cum se carmine solo
vexant et dominis Cirrhae Nysaeque feruntur
65 pectora vestra duas non admittentia curas?

P Arov. AFGHKLOTUZ

50–51 laqueo ... mali *delevit Housman; v. 51 iam damnaverat Jahn et v. 50* ambitiosum *legebat, ut* ambitioso *Braund* | multos] cultro *Leo ingeniose; v. 51 sic dubitanter refinxit Nisbet:* scribendi studium, gliscitque atque usque gravescit. || **52** cacetes *vel sim. dett.* || **54** nil *P* | producere *Weidner* **57–85** *initia versuum habet Arov., inde ad* **114** *exitus, ab* **115–174** *totos versus* || **57** acervi *P*[1] acerba *K*[1] || **58** aptusque] avidusque *Jahn ex schol. (sed 'avidus' ibi glossa in 'cupidus' videtur)* || **60** plerio *P*[1] *Arov. lem.* | thyrsumque *P*[1] *Arov. A* thyrsumve *cett.* | maesta *P*[1]*AL* saeva *FOZ* sana *Φ schol.* || **61** atque] ut quae *Marklandus* | quom *Ribbeck* quo *libri* (cum *ideo tantum scripsi ne a cotidiano more recederem)* **63** quis] qui *P*[1] *Arov. A fort. recte* || **64** cyrrenis aeque *P*[1] *Arov.*[2] *G* cyrrenis atque *Arov.*[1] || **65** nostra *recc. nonnulli* | admitentia *P*[1] *Arov. L*

magnae mentis opus nec de lodice paranda
attonitae currus et equos faciesque deorum
aspicere et qualis Rutulum confundat Erinys.
nam si Vergilio puer et tolerabile deesset
70 hospitium, caderent omnes a crinibus hydri,
surda nihil gemeret grave bucina. poscimus ut sit
non minor antiquo Rubrenus Lappa coturno,
cuius et alveolos et laenam pignerat Atreus?
non habet infelix Numitor quod mittat amico;
75 Quintillae quod donet habet, nec defuit illi
unde emeret multa pascendum carne leonem
iam domitum. constat leviori belua sumptu
nimirum, et capiunt plus intestina poetae.
contentus fama iaceat Lucanus in hortis
80 marmoreis, at Serrano tenuique Saleio
gloria quantalibet quid erit, si gloria tantum est?
curritur ad vocem iucundam et carmen amicae
Thebaidos, laetam cum fecit Statius urbem
promisitque diem: tanta dulcedine captos
85 afficit ille animos tantaque libidine vulgi

P Arov. AFGHKLORTUZ

66 nec] ne P^1 *Arov.* Z^1 ‖ **69** deesset *P* desit *cett.* ('si illi defuissent res familiares' *schol.*) ‖ **70** caderent] aderent P^1 *Arov.* | rubenus *A* ‖ **73** alveolos P^1 *Arov. Sang. FG schol.* albiolos *Φ* ‖ **75** quintilae P^1 *Arov.* quintiliae *L et recc. nonnulli* | nec] non *Prisc. gramm. II 346,18* ‖ **76** pascenda *codd. nonnulli Prisciani* ‖ **78** cupiunt *Z et coni. Heinrich satis misere* **80** marmoreus *recc. nonnulli et coni. Gronovius* (*sed num statua iacere possit recte dubitat Rupertius*) | at *PG Arov. lem. schol.* et *Φ* sed *Gron.* | serrano P^1 *Arov. lem.* sarreno *G* serano *O* sarrano *cett.* | saleio *GHOZ lem.* saleno P^1 (*unde* Saleiio *suo more Housman*) saltio *F* salino *Φ schol.* ‖ **83** fecit cum *HKZ, quod probat Santen* | statuis *P*

auditur. sed cum fregit subsellia versu,
esurit, intactam Paridi nisi vendit Agaven.
ille et militiae multis largitur honorem;
semestri vatum digitos circumligat auro.
90 quod non dant proceres, dabit histrio. tu Camerinos
et Baream, tu nobilium magna atria curas?
praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.
haud tamen invideas vati quem pulpita pascunt.
quis tibi Maecenas, quis nunc erit aut Proculeius
95 aut Fabius, quis Cotta iterum, quis Lentulus alter?
tum par ingenio pretium, tunc utile multis
pallere et vinum toto nescire Decembri.
Vester porro labor fecundior, historiarum
scriptores? perit hic plus temporis atque olei plus.
100 nullo quippe modo millesima pagina surgit
omnibus et crescit multa damnosa papyro:

P Arov. AFGHKLOTUZ

87 ni *KZ²* | vendit *P¹ Arov. FGH¹LUZ* vendat *AH²KOT* *'nisi vendidisset' schol.* | agavem *P¹ Arov. lem.* agyauen *F* agayen *GU* ‖ **88–89** *versus damnavit Ribbeck;* **88–91** *iam Guietus damnaverat* | multis] maestis *Heinrich* Musis *Scholte* | largitus *G Vat. 3286 et coni. Schrader* | ... honorem ⟨et⟩ *Jacobs* ‖ **89** semestris *vitae auctorem legisse suspicatus est Salmasius, et sic legebat Masson* | vatum digitos *Φ* gidos vastum *P. Arov.* ‖ **90** tu Camerinos] tuccamerinos *Sang.* tu cameritos *Arov.* ‖ **91** baream *P¹ F GHZ lem. Arov.* bareas *Φ et vita Iuv.* ‖ **92** philomella *P¹ Arov. F* philomena A ‖ **93** *versum del. Marklandus* | invidia sua aut *ut vid P¹ Arov.¹* ‖ **96** tum *P¹* tunc *lem. Φ om. F* | tunc] nunc *H. Valesius* ‖ **99** perit *P¹ Arov. FG* petit *Φ* ‖ **100** nullo quippe modo *PG LOZ Servius Aen. 4,98 et schol. Lucani 1,334* |]modo *Arov.* nullo quidem modo *U* namque oblita modo *A¹* namque oblita modi *FHKT* ‖ **101** *delebat Knoche* | multa crescit *GU*

sic ingens rerum numerus iubet atque operis lex.
quae tamen inde seges, terrae quis fructus apertae?
quis dabit historico quantum daret acta legenti?
105 'sed genus ignavum, quod lecto gaudet et umbra'.
dic igitur quid causidicis civilia praestent
officia et magno comites in fasce libelli.
ipsi magna sonant, sed tum cum creditor audit
praecipue, vel si tetigit latus acrior illo
110 qui venit ad dubium grandi cum codice nomen.
tunc immensa cavi spirant mendacia folles
conspuiturque sinus; veram deprendere messem
si libet, hinc centum patrimonia causidicorum,
parte alia solum russati pone Lacertae.
115 consedere duces, surgis tu pallidus Ajax
dicturus dubia pro libertate bubulco
iudice. rumpe miser tensum iecur, ut tibi lasso
figantur virides, scalarum gloria, palmae.
quod vocis pretium? siccus petasunculus et vas

P Arov. AFGHKLOTUZ

102 *versum delebat Guietus* | operis *Lubini codex apud Ruperti quod probat Nisbet* operum *cett.* || **104** *post hunc versum quaedam excidisse coniecit Iahn* || **105** *versus Guieto suspectus* | lecto P^1 *Arov.* FG^1H tecto *Φ* || **106** dic igitur] dicitur *FZ* | praestent P^1 *Arov.*[1] *AGU* praestant *Arov.*[2] *Φschol. quod defendit Wunderlich collato 14,212* iubet || **108** tum P^1 *Arov.* A^1OU tunc *Φ* || **109** *delevit Jahn ed. altera, interpretari conatus est Madvig* | acrrior P^1 *Arov.*[1] | ille *Heinrich* || **110** qui] quid P^1 *Sang. lem.* || **114** solium *H. Valesius* follem *vel* zonam *vel* massam *Scholte non verisimiliter* | lacertae *Φ Probus Vallae* lacernae P^1 *Arov. lem.* || **115** surgis] surdis P^1 *Arov.*[1] *ut vid.* | alax P^1 *Arov. lem.* || **116** Bubulco *ut propr. nomen accepit Heinrich* || **118** fingantur *AG* || **119** quod] quo *F*

120 pelamydum aut veteres, Maurorum epimenia, bulbi
aut vinum Tiberi devectum, quinque lagonae.
si quater egisti, si contigit aureus unus,
inde cadunt partes ex foedere pragmaticorum.
Aemilio dabitur quantum licet, et melius nos
125 egimus. huius enim stat currus aeneus, alti
quadriiuges in vestibulis, atque ipse feroci
bellatore sedens curvatum hastile minatur
eminus et statua meditatur proelia lusca.
sic Pedo conturbat, Matho deficit, exitus hic est
130 Tongilii, magno cum rhinocerote lavari
qui solet et vexat lutulenta balnea turba
perque forum iuvenes longo premit assere Maedos
empturus pueros, argentum, murrina, villas;
spondet enim Tyrio stlattaria purpura filo.
135 *et tamen est illis hoc utile. purpura vendit*
causidicum vendunt amethystina; convenit illi
et strepitu et facie maioris vivere census.

P Arov. AFGHKLOTUZ

120 aut] et *AKLT* | maurorum *P[1] Arov. A* asyorum *L* afrorum *Φ* || **121** lagonae *P[1] Arov. FH* lagunae *G* lagoenae *Φ* || **122** contingit *P[1] Arov.* || **123** ex *P[1] Arov. AGLU* in *Φ* || **124** licet *P. Arov.[2] et fort. T* libet *GLU et coni. Heinrich* petet *Arov.[1] Φ* | et] at *Ruperti, Cramer* || **125** alti] albi *Marklandus coll. Prop. 4, 1a,32* || **130** tongilii *GOZ[2] et coni. Jahn* tongil** *P* tongili *K[1]* tontigili *F* tangili *Arov.[1]* tongilli *Φ* | rinoceronte *P[1] Arov. lem.* || **132** Moesos *Lipsius, probante Marklando* || **133** arpentum *Arov.[1] et fort. P[1]* || **134** *versum post 137 melius secuturum opinatur Courtney* | splendet *GU* || **135** *om. U[1] et delevit Knoche* | illis] ipsis *FHL* || **136** convent *Sang.* | illi *P. Arov. Mico Sang.* illis *Φ*

sed finem impensae non servat prodiga Roma.
fidimus eloquio? Ciceroni nemo ducentos
140 nunc dederit nummos, nisi fulserit anulus ingens.
respicit haec primum qui litigat, an tibi servi
octo, decem comites, an post te sella, togati
ante pedes. ideo conducta Paulus agebat
sardonyche atque ideo pluris quam Gallus agebat,
145 quam Basilus. rara in tenui facundia panno.
quando licet Basilo flentem producere matrem?
quis bene dicentem Basilum ferat? accipiat te
Gallia, vel potius nutricula causidicorum
Africa, si placuit mercedem poscere linguae.
150 Declamare doces? o ferrea pectora Vetti,
cui perimit saevos classis numerosa tyrannos!
nam quaecunque sedens modo legerat, haec eadem stans
perferet atque eadem cantabit versibus idem.

P Arov. Ant. AFGHKLOTUZ

138 *deleverunt Guietus, Schrader* | conservans *Arov.* non servas *dub. Housman* || **139** fidimus eloquio *P. Arov. G Priscianus gramm. III 329,23* ut redeant veteres *Φ* || **141** haec] hoc *Eremita* | servi octo, decem] turba servorum *G* || **142** post te *P*[1] *GH*[1] *L* poste *Arov.*[1] *Sang.* posite *F* posita *Φ* *pro* an ... sella *legunt* posita an sit sella *recc. quidam et coni. Scioppius* || **144** *versum om. K*[1] *U*[1] | Gallus *P. Arov. FGHU* cossus *Φ* || **145** basilu silara *ut vid. P*[1] basilus clara *Q*[1] basilus raro *A* || **146** producere *P. Arov. AGTU* deducere *Φ* || **149–198** *laceros exhibet Ant.* || **149** Africa si] africas *P*[1] *Arov.* | poscere *Buecheler et Marklandus* ponere *P*[1]*Arov.* imponere *Φ Ant.* || **150** offerrea *FGU* | vetti *P*[1] *Arov. F GU* vecti *Φ* || **151** cui *Jahn* cum *libri; versum sic refinxit Guietus ille:* quae perimit laevum classis numerosa magistrum | peremit *P*[1] *Arov. FU*[1] *Ant.* || **153** *versum om. F* | cantavit *P*[1] *Arov. schol.* idem *AGU et coni. Jahn* isdem *cett.*

occidit miseros crambe repetita magistros.
155 quis color et quod sit causae genus atque ubi summa
quaestio, quae veniant diversa e parte sagittae,
nosse volunt omnes, mercedem ponere nemo.
'mercedem appellas? quid enim scio?' 'culpa docentis
scilicet arguitur, quod laevae parte mamillae
160 nil salit Arcadico iuveni, cuius mihi sexta
quaque die miserum dirus caput Hannibal implet,
quicquid id est de quo deliberat, an petat urbem
a Cannis; an post nimbos et fulmina cautus
circumagat madidas a tempestate cohortes.
165 quantumvis stipulare et protinus accipe: quid do
ut toties illum pater audiat?' haec alii sex
vel plures uno conclamant ore sophistae
et veras agitant lites raptore relicto;
fusa venena silent, malus ingratusque maritus
170 et quae iam veteres sanant mortaria caecos.

P Arov. Ant. AFGHKLOTUZ

154 crambe *G* crambre *P. Arov.* grambe *FH* cambre *cett.* ‖ **155** et] aut *K* | quid *F* ‖ **156** diversa e (*vel* diversae) *P. Arov. FHKTZ* diversa *cett.* diversa a *Guietus, Heindorf, Marklandus* | parte *Φ* forte *P. Arov.*[1] aperte *Arov.*[2] fronte *Ant. et coni. Marklandus* (diversa fronte *recc. nonnulli*) ‖ **157** volunt *Φ Ant.* velunt *P*[1]*Arov.* *unde* velint *coni. Pithoeus* ‖ **159** quod] si *Fulgentius myth. 2,9* | leve *P. Arov.* laeva *AFGHUschol. Pers.*, laeva in *KLOTZ* | papillae *Fulg. fort. recte: cf. Plin. 'infra laevam papillam'* ‖ **163** flumina *Arov. A* fulgura *GU* ‖ **165** accipere *P*[1] *Arov.* | quid do *P*[1] *Arov. Ant. FGKTUZ Prisc.* quod do *cett.* quin do *coni. Mommsen* quiddam *cod. Vallae et coni. Merry, vulgatam enarrat Morse* ‖ **166** haec *PGU Ant. Arov.* ast haec *FH* ast *cett.* hic *coni. Nisbet, Marklandus* | *in voce alii latere mendum putat Parker* ‖ **167** vel *P*[1]*Arov. lem. Ant.* et *Φ* aut *recc.* ‖ **170** mortalia *GUZ*[1]

ergo sibi dabit ipse rudem, si nostra movebunt
consilia, et vitae diversum iter ingredietur
ad pugnam qui rhetorica descendit ab umbra,
summula ne pereat qua vilis tessera venit
175 frumenti: quippe haec merces lautissima. tempta
Chrysogonus quanti doceat vel Pollio quanti
lautorum pueros, artem scindes Theodori.
balnea sescentis et pluris porticus in qua
gestatura dominus quoties pluit. anne serenum
180 exspectet spargatve luto iumenta recenti?
hic potius, namque hic mundae nitet ungula mulae.
parte alia longis Numidarum fulta columnis
surgat et algentem rapiat cenatio solem.
quanticunque domus, veniet qui fercula docte
185 componit, veniet qui pulmentaria condit.
hos inter sumptus sestertia Quintiliano,
ut multum, duo sufficient: res nulla minoris
constabit patri quam filius. 'unde igitur tot
Quintilianus habet saltus? exempla novorum
190 fatorum transi. felix et pulcher et acer;

P Arov. Ant. AFGHKLOTUZ

173 qui] quod (*scil. iter*) *Marklandus* | descendat *Heinrich; utrum* descendat *an* descendet *voluerit Guietus, vix ausim dicere* || **174–177** *delebat Guietus* || **174** summavia P^{1} *lem.* || **175** laetissima *Schurzfleisch* | tempta *Φ* temptat *P lem. et fort.* T^{1} || **176** polio *P* || **177** scindes *Jahn et habent recc. nonnulli* scindens *libri, Sang., Mico* || **179** anne] isne *Marklandus* || **180** spargatve *Heinrich, Marklandus* spargatque *libri* || **181** *versum mulinum delevit Heinrich* || **184** domum P^{1} *Ant.* $FG^{1}HZ$ || **185** componit *Ant. GT* componat *cett.* | condat *LOU* condet *H* condiat *Lachmann nimis audacter* || **187** sufficiunt *Ant.*

felix et *sapiens et nobilis et generosus*
appositam nigrae lunam subtexit alutae;
felix orator quoque maximus et iaculator
et, si perfrixit, cantat bene. distat enim quae
195 sidera te excipiant modo primos incipientem
edere vagitus et adhuc a matre rubentem.
si Fortuna volet, fies de rhetore consul;
si volet haec eadem, fies de consule rhetor.
Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud quam
200 sidus et occulti miranda potentia fati?
servis regna dabunt, captivis fata triumphos.
felix ille tamen corvo quoque rarior albo:
paenituit multos vanae sterilisque cathedrae,
sicut Tharsymachi probat exitus atque Secundi
205 Carrinatis: et hunc inopem vidistis, Athenae,
nil praeter gelidas ausae conferre cicutas.
di maiorum umbris tenuem et sine pondere terram
spirantisque crocos et in urna perpetuum ver,

P Ant. AFGHKLOTUZ

192 *damnavit Jahn, item Scholte, qui tamen Jahnii nomen tacet; diplen obelismenen huic versui appinxit is qui Ant. scripsit* | sapiens ... appositam *damnavit Reeve; audaciore chirurgia Guietus 193–196 excidere voluerat* || **193** ioculator *A¹KO* || **194** et si] etsi *Eden* et ni *Weidner* | perfrisit *Ant.* **195** excipiant] aspiciant *Scholte sane probabiliter* || **197 s.** *distichon damnavit Scholte* | fies ... volet *om. Z* | fiet *P¹ et recc. nonnulli* || **198** *versum om. K¹L¹; in hoc versu desinit Ant.* | velit G | fies *P² Ant. Φ* fiet *P* | de rhetore consul || **200** fati] signi *fort. melius, sed cf. 9,32 s. 'fata ... sidera'* || **201** dabant *AL* | triumphum *P¹* || **202** parior *F* || **203** variae *U* || **204** *versum om. T* | tharsimachi *P¹ sicut coniecerat Ritschl* thresimachi *Φ* lisimachi *FH* || *ante* **206** *lacunam statuere Heinrich et Marklandus, post 206 Ribbeck* || **208** spirandisque *P¹ lem.*

qui praeceptorem sancti voluere parentis
210 esse loco. metuens virgae iam grandis Achilles
cantabat patriis in montibus, et cui non tunc
eliceret risum citharoedi cauda magistri.
sed Rufum atque alios caedit sua quemque iuventus –
Rufum, quem toties Ciceronem Allobroga dixit.
215 quis gremio Celadi doctique Palaemonis affert
quantum grammaticus meruit labor? et tamen ex hoc
quodcunque est (minus est autem quam rhetoris aera)
discipuli custos praemordet acoenonoetus
et qui dispensat frangit sibi. cede, Palaemon,
220 et patere inde aliquid decrescere, non aliter quam
institor hibernae tegetis niveique cadurci,
dummodo non pereat mediae quod noctis ab hora
sedisti, qua nemo faber, qua nemo sederet
qui solet obliquo lanam deducere ferro,
225 dummodo ne pereat totidem olfecisse lucernas

P AFGHKLORSTUZ

211 *ultima littera in* cantabat *in ras. in P* cantabas *non displiceret* | patris *P* || 212 causa *K¹Z* || 214 quem *P¹ Sang. schol. GU* qui *Φ* | Tities ... dicunt *dub. Nisbet* | allobroca *GU* || 215 celadi *P¹GU* enceladi *Φ Sang.* || 217 *versum delebat Scholte; Buecheler vero sic refingebat:* quodcumque est munus minus est *etc.* | est *prius om. K¹U* | autem *om. P¹A* || 218 acoenonoetus *P* acoenonoetos *G* acoenonetos *U et coni. Grangaeus* acoenonitus *glossa ap. Gloss. 4, p. 303,19* acoeneteus *O* acoenetus *FHKTZ* acoenetus ipse *AL, 'communi carens sensu' schol.* || 219 frangit *P²F GHUZ schol.*, frangat *P¹A* franget *cett.* || 221 insitor *Sang.* | legetis *Sang.* || 222 mediam ... ad horam *Marklandus et Owen, quod improbat Housman* || 223 sederet *P¹* sedebit *P²FGHU* sedebat *Φ* || 224 solet *Scholte, quod commendat Courtney* docet *libri* || 225 *versum om. F*

quot stabant pueri, cum totus decolor esset
Flaccus et haereret nigro fuligo Maroni.
rara tamen merces quae cognitione tribuni
non egeat. sed vos saevas imponite leges,
230 ut praeceptori verborum regula constet,
ut legat historias, auctores noverit omnes
tanquam ungues digitosque suos, ut forte rogatus,
dum petit aut thermas aut Phoebi balnea, dicat
nutricem Aeneae, nomen patriamque novercae
235 Anchemoli, dicat quot Acestes vixerit annis,
quot Siculi Phrygibus vini donaverit urnas.
exigite ut mores teneros ceu pollice ducat,
ut si quis cera vultum facit; exigite ut sit
et pater ipsius coetus, ne turpia ludant,
240 ne faciant vicibus: non est leve tot puerorum
observare manus oculosque in fine trementes.
'haec' inquit 'cura; sed cum se verterit annus,
accipe victori populus quod postulat aurum.'

P AFGHKLOTUZ

226 cum stabant *F* circumstant *H* || **229** salvas *P¹* || **231** ut legat] ut sciat *vel* colligat *Nisbet* calleat *Courtney* | storias *P* || **232** ut] si *GU* sit *P²FH* || **234** patriaeque *P¹ lem.* || **235** anchemoli *Vat. Reg. 2029 callidissime ex Aen. 10,389* anchemori *GKU* archmori *F* archemoli *O* archemori *P lem. Φ* | annis *P¹A* annus *FH* annos *Φ* || **236** siculi *P¹GL et coni. C. Valesius* siculis *U* siculus *Φ* Siculas *coni. Marklandus* || **237** exigite] figite *P¹ lem.* | maiores *P¹* | ducant *FH* || **240 s.** *versus Iuvenali abiudicavit Valla (cf. 9,43 s.) plaudente Scholtio; a piis monachis versus impudicos damnatos putat Ruperti* || **242** *versum om. Z* | inquit] aiunt *Guietus* | cura sed *G* *sicut coni. Plathner* cura *F* curas et *PΦ* cures at *Housman* cures et *Marklandus* || **243** populum *F* | postulaturum *P¹*

SATVRA OCTAVA

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
sanguine censeri, pictos ostendere vultus
maiorum et stantes in curribus Aemilianos
et Curios iam dimidios umeroque minorem
5 Corvinum et Galbam auriculis nasoque carentem,
quis fructus generis tabula iactare capaci
Corvinum, posthac multa contingere virga
fumosos equitum cum dictatore magistros,
si coram Lepidis male vivitur? effigies quo
10 tot bellatorum, si luditur alea pernox

P AFGHKLOTUZ

1 longo] lo P^1 || 2 pictos] fictos *coni. Marklandus* | vultus *om.* *P* || **4–8** *delebat Ribbeck* || 4 dividuos *Heinsius* | humeroque *Dresd. 155* umerosque P^1 nasumque Φ || **5–6** *om.* G^1 *et delebat Hermann* || 5 corvinum P^1 *Dresd. 155* corvini $P^2\Phi$ || **6** *om.* U^1 || **6–8** *damnaverunt Guietus, Jachmann, quem adeas consulo; duplicis recensionis vestigia agnoscebat Leo praeeunte Paldamo* || 6 tabulas P^1 || 7 *versum habent* PGK^m *om.* Φ *damnaverunt Juvencius in ed. an. 1697, similiter Rupertius* | corvinum *P* corvini *G* fabricium Φ *quam lectionem Prud. c. Symm. 2,555 ante oculos videtur habuisse* | post haec GK^m post hunc *recc.; pro* Corvinum posthac *voluere* nomina tot posse ac. *Withof* pontifices posse ac *Housman*; *totum versum sic refingi posse putavit Leo:* Corvinum ac multa contingere, Pontice, virga: *tanti visum est panno inepte assuto non carere* || 8 fumosos P^1FG^1 famosos Φ

ante Numantinos, si dormire incipis ortu
Luciferi, quo signa duces et castra movebant?
cur Allobrogicis et magna gaudeat ara
natus in Herculeo Fabius lare, si cupidus, si
15 vanus et Euganea quantumvis mollior agna,
si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum
squalentes traducit avos, emptorque veneni
frangenda miseram funestat imagine gentem?
tota licet veteres exornent undique cerae
20 atria, nobilitas sola est atque unica virtus.
Paulus vel Cossus vel Drusus moribus esto:
hos ante effigies maiorum pone tuorum;
praecedant ipsas illi te consule virgas.
prima mihi debes animi bona. sanctus haberi
25 iustitiaeque tenax factis dictisque mereris?
agnosco procerem: salve, Gaetulice, seu tu
Silanus: quocunque alto de sanguine rarus
civis et egregius patriae contingis ovanti,
exclamare libet populus quod clamat Osiri
30 invento. quis enim generosum dixerit hunc qui
indignus genere et praeclaro nomine tantum
insignis? nanum cuiusdam Atlanta vocamus,

P AFGHKLOTUZ

11 ortu *P¹G¹schol.* ortus *Φ* || **15** eucanea *P¹lem.* || **16** attritis *P¹* | lumbus *P¹* || **17** traducit *P¹ lem.AGU* producat *K¹T* producit *Φ* || **18** frangendam *P¹F* | funestet *GU* || **19** tota] tot *P* | licet] licet et *P¹F¹* || **21** palus *P¹* | esto] es tu *voluit H. Valesius* || **22** efficies *P¹lem.* || **24** mihi] tibi *H. Valesius* || **27** silanus *PG* sillanus *vel* syllanus *Φ* | quocumque] quorumve *Schrader* | alto *coni. Richards,* alio *libri* o tu *De Jonge* || **30** qui] qui est *L* || **32–37** vocamus? ... cycnum? ... Europen? ... violentius? *interpungebat Marklandus*

Aethiopem cycnum, parvam extortamque puellam
Europen; canibus pigris scabieque vetusta
35 levibus et siccae lambentibus ora lucernae
nomen erit Pardus, Tigris, Leo, si quid adhuc est
quod fremat in terris violentius. ergo cavebis
et metues ne tu sic Creticus aut Camerinus.
His ego quem monui? tecum est mihi sermo, Rubelli
40 Blande. tumes alto Drusorum stemmate, tanquam
feceris ipse aliquid propter quod nobilis esses,
ut te conciperet quae sanguine fulget Iuli,
non quae ventoso conducta sub aggere texit.
'Vos humiles,' inquis, 'vulgi pars ultima nostri,
45 quorum nemo queat patriam monstrare parentis;
ast ego Cecropides.' vivas et originis huius
gaudia longa feras. tamen ima plebe Quiritem
facundum invenies: solet hic defendere causas
nobilis indocti; veniet de pube togata
50 qui iuris nodos et legum aenigmata solvat.
hinc petit Euphraten iuvenis domitique Batavi

P AFGLKLOTUZ

33 parvam *ALO et fort.* P^1 pravam *cett. quod praetulit Burmannus* || **34** scabieque] caveque P^1 cavieque *F* || **36** si quid adhuc est] sique aliud quid *Guietus* || **37** fremit *ALT* || **38** ne tu sic *H. Junius et ms. Mus. Brit. Add. 11997* ne tu si *P* ne tu sis *cett.* ne sic sis *Guietus* ne hic tu sis *Heinrich* || **40** Blande] Plaute *Lipsius; pro* blande tumes *legitur* ortus et ab *in F* ortus ab *in H* || stemmate P^1*AFGHOU* sanguine *cett.* || **42** ut] et *Guietus, Heinrich* || **43** aggere] aere AH^2 || **44** inquis P^2*AKLO* inquit *cett., probante Kn.* || **49** veniet] venit et ALU^2 | pube *coni. Housman* plebe *P lem. AGLU (ex v. 47)* gente *F (ex Verg. A. 1,282)* | togatus *Scriverius, Heinrich* || **51** hinc *coni. Weidner et habent GU* hic *cett.* | patavi *A*

custodes aquilas armis industrius. at tu
nil nisi Cecropides truncoque simillimus hermae.
nullo quippe alio vincis discrimine quam quod
55 illi marmoreum caput est, tua vivit imago.
dic mihi, Teucrorum proles, animalia muta
quis generosa putat nisi fortia? nempe volucrem
sic laudamus equum, facili cui plurima palma
fervet et exultat rauco victoria circo.
60 nobilis hic, quocunque venit de gramine, cuius
clara fuga ante alios et primus in aequore pulvis.
sed venale pecus Coryphaei posteritas et
Hirpini, si rara iugo Victoria sedit.
nil ibi maiorum respectus, gratia nulla
65 umbrarum: dominos pretiis mutare iubentur
exiguis, trito ducunt epiraedia collo
segnipedes dignique molam versare nepotes.
ergo ut miremur te, non tua, privum aliquid da
quod possim titulis incidere praeter honores
70 quos illis damus ac dabimus, quibus omnia debes.

P AFGHKLORTUZ

53 nisi *in ras P* sibi *lem.* || 54–55 *damnavit Ribbeck* || 57 putet *PAFH²L* putat *cett.* | volucre *P¹ lem.* || 58 facilis *Prateus tacite, sicut coniecerat Guietus* facile *P² U* facili *cett.* || 59 rauco] pauco *FH* || 60 *'sunt qui legant* germine' *Valla* || 61 pulvis] cuius (*repet. ex v. 60*) vel pulvis *P* cursus *A² et coni. Scriverius* || 62 coryphaei *GU² schol. et coni. Schurzfleisch,* cor**** *U* cory*e* *P* corythae *Φ* Coryphaeae *Heinrich* || 63 Harpinnae *Farnabius* || 66 trito *AGU,* et trito *P¹ Sang.,* tritoque *Φ,* trito et *recc. aliqui* | ducent *F* || 67 nepotes *P¹ FGHU Sang.* nepotis *cett.* || 68 privum *Salmasius* primum *libri* quod *def. Courtney* || 69 honorem *U* || 70 ac] et *A* | dabimus *Marklandus* dedimus *libri*

Haec satis ad iuvenem quem nobis stemma superbum
tradit et inflatum plenumque Nerone propinquo.
rarus enim ferme sensus communis in illa
fortuna. sed te censeri laude tuorum,
75 Pontice, noluerim sic ut nihil ipse futurae
laudis agas. miserum est aliorum incumbere famae,
ne collapsa ruant subductis tecta columnis.
stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.
esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
80 integer. ambiguae siquando citabere testis
incertaeque rei, Phalaris licet imperet ut sis
falsus, et admoto dictet periuria tauro,
summum crede nefas animam praeferre pudori
et propter vitam vivendi perdere causas.
85 *dignus morte perit, cenet licet ostrea centum*
Gaurana et Cosmi toto mergatur aeno.
Expectata diu tandem provincia cum te
rectorem accipiet, pone irae frena modumque;
pone et avaritiae: miserere inopum sociorum.
90 ossa vides rerum vacuis exsucta medullis.
respice quid moneant leges, quid curia mandet,

P AFGHKLORTUZ

71 stemma *Jacobs* fama *libri* || **72** plerumque *P*[1] *FH* || **75** sic ut] sicut tu *Z* si tu *recc. aliquot* || **78** *versus commode abesse possit* | humi] ubi *Sang.* | desideret *coni. Beer et habent FGHU, prob. Housman* discinderet *Pm* || **85–86** *damnavit Brown* || **85** centum] secum *vel* tantum *Schrader* nequam *Withof* noctu *dub. Scholte* || **86** gauranae *FH* gauranae *Z* | cosmo *P*[1] *lem.* || **88** accipiat *PAF Sang.* || **90** videns *vel* vide *coni. H. Valesius* | rerum *P*[1] *F GH*[1] *U* regum *cett.* | exsicca *A* exuta *FO*[2] exusta *P*[2]*L* || **91** mandat *PA*

praemia quanta bonos maneant, quam fulmine iusto
et Capito et Tutor ruerint damnante senatu,
piratae Cilicum. sed quid damnatio confert?
95 praeconem, Chaerippe, tuis circumspice pannis,
cum Pansa eripiat quicquid tibi Natta reliquit,
iamque tace: furor est post omnia perdere naulum.
  Non idem gemitus olim neque vulnus erat par
damnorum sociis florentibus et modo victis.
100 plena domus tunc omnis, et ingens stabat acervus
nummorum, Spartana chlamys, conchylia Coa,
et cum Parrhasii tabulis signisque Myronis
Phidiacum vivebat ebur, necnon Polycliti
multus ubique labor, rarae sine Mentore mensae.
105 inde Dolabella †atque hinc† Antonius, inde
sacrilegus Verres referebant navibus altis
occulta spolia et plures de pace triumphos.
nunc sociis iuga pauca boum, grex parvus equarum
et pater armenti capto eripietur agello,
110 ipsi deinde Lares, si quod spectabile signum.

P AFGHKLOTUZ

92 moneant *A^1 U^1* moveant *H* || **93** capite *FHZ* | Tutor *Φ schol.* numitor *P^1 Mico* (*ex Verg., A. 6,768 'et Capys et Numitor'*) || **96** Pansa] planta *FH* | nata *P^1 FGH^1 L* | relinquit *P^1 Z^1* || **97** naulom *F* || **98** neque *PAF* nec *cett.* || **101** comcilia *P^1 lem.* || **103** polycliti *P^1 G* policleti *Φ* || **105** Dolabellae *Ruperti* dolo bellans *Eden* Dolabellae ⟨statuae⟩ *Manso* Dolabella ⟨hinc⟩ *Weidner* Dolabellas (*nom. Graec.*) *Garrod et Marklandus, ille similis, hic dissimilis sui* | cantonius *P^1 lem.* Antonius ⟨ebrius⟩ *Ashton* ⟨astuque⟩ Antonius *Eden* ⟨audax⟩ Antonius *Knoche* inhians Antonius *Leo* ⟨rapax⟩ Antonius *Nisbet, alii alia* || **109** eripiunt *ut vid. P^1* eripientur *G* eripiuntur *recc. aliquot* || **110** ipse *PA* | Lari *Scholte* | si quid *A*

si quis in aedicula deus unicus. haec etenim sunt
pro summis, nam sunt haec maxima. despicias tu
forsitan imbelles Rhodios unctamque Corinthon
despicias. merito: quid resinata iuventus
115 cruraque totius facient tibi levia gentis?
horrida vitanda est Hispania, Gallicus axis
Illyricumque latus; parce et messoribus illis
qui saturant urbem circo scaenaeque vacantem.
quanta autem inde feres tam dirae praemia culpae,
120 *cum tenuis nuper Marius discinxerit Afros?*
curandum in primis ne magna iniuria fiat
fortibus et miseris tollas licet omne quod usquam est
auri atque argenti, scutum gladiumque relinques
et iaculum et galeam; spoliatis arma supersunt.
125 *quod modo proposui, non est sententia; verum est.*

P AFGHKLORTZ

111–126 *delebat Ribbeck* || **111–112** *damnavit Manso* | si] seu *Weidner* | unicus] unus *Heineccius, qui* haec etenim ... maxima *damnavit* | haec etenim sunt] haec retinentes *Courtneius* haecce tamen sunt *Pinzger, uterque sibi impar* **112** nam sunt ... **113** forsitan *damnavit Hermann et pro* imbellis *scripsit* bellos || **112** nam] iam *Bucheler* quis *Housman* || **113** chorinto *P¹ lem. G* corinthum *A* || **114** quid] nam quid *GU* || **115** cruraque totius facient] victaque vel toties faciet *FHZ* | levia] libia *Pᵐ H* lenia *A* || **117** Illyricique *Heinsius* | illis] istis *OZ* || **118** urbem] turbam *Dorleans* || **119–121** *damnavit Jachmann* || **120** tenues] tunicis *Scholte* | discinxerat *A* distrinxerit *recc. aliquot* || **122** tollas *om. FH* tollat *P¹* || **123** scutum ... galeam *damnabat Hermann, sed melius Lachmannus 124 exulare iussit; duplicis versionis vestigia agnoscebat Leo* || **124** iaculum *P* iacula *Φ* (iaculo et galea *satis misere Weidner)* || **125–126** *versus a magistelli inficeti ingenio profectos damnavit Marklandus* | verum est] nostra *Pinzger e codice quodam Scriverii* | est *om.* AKLOT

credite me vobis folium recitare Sibyllae.
si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal
vendit acersecomes, si nullum in coniuge crimen,
nec per conventus et cuncta per oppida curvis
130 unguibus ire parat nummos raptura Celaeno,
tum licet a Pico numeres genus, altaque si te
nomina delectent, omnem Titanida pubem
inter maiores ipsumque Promethea ponas.
de quocunque voles proavum tibi sumito libro.
135 quod si praecipitem rapit ambitio atque libido,
si frangis virgas sociorum in sanguine, si te
delectant hebetes lasso lictore secures,
incipit ipsorum contra te stare parentum
nobilitas claramque facem praeferre pudendis.
140 *omne animi vitium tanto conspectius in se*
crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.
Quo mihi te, solitum falsas signare tabellas,
in templis quae fecit avus statuamque parentis
ante triumphalem? quo, si nocturnus adulter
145 tempora Santonico velas adoperta cucullo?
praeter maiorum cineres atque ossa volucri
carpento rapitur pinguis Lateranus et ipse,

P AFGHKLORTZ

131 tum] tu *P¹ lem. AFGU* || **132** pubem *Scholte* pugnam *libri* || **133** ponas *P²AL* poenas *P¹ Sang.* pingas *Φ* || **134** *delevit Ribbeck* || **135** si *om. Sang.* | ambitio *P¹ Sang. G* ambitus *Φ* || **136** frangit *FHZ* || **137** delectent *LU¹* || **140–141** *damnavit Ribbeck* || **140** tanta *P¹* || **140** quantum *F* || **142** *dist. Housman* || **145** sanctonico ... adopera *Sang.* || **147** lateranus *P¹ lem. GU* damasippus *Φ schol.* (*ex v. 185?*)

ipse rotam astringit sufflamine mulio consul,
nocte quidem, sed Luna videt, sed sidera testes
150 intendunt oculos. finitum tempus honoris
cum fuerit, clara Lateranus luce flagellum
sumet et occursum nunquam trepidabit amici
iam senis, ac virga prior annuet atque maniplos
solvet et infundet iumentis hordea lassis.
155 interea, dum lanatas robumque iuvencum
more Numae caedit, Iovis ante altaria iurat
solam Eponam et facies olida ad praesepia pictas.
sed cum pervigiles placet instaurare popinas,
obvius assiduo Syrophoenix udus amomo
160 *currit Idymaeae Syrophoenix incola portae*
hospitis affectu dominum regemque salutat,
et cum venali Cyane succincta lagona.

P AFGHKLORTZ

148 astringit] stringit *ALU* | sufflamine mulio *Sang. GU et fort.* P^1, *cf. GLK 6,231,6* sufflamine multo *Laur. 34,40, Mus. Brit. Burn. 192* multo sufflamine P^2 *Φ, cf. schol. ad 156 'quia mulio est qui consulatu fungitur'* || **151** lateranus *PGU* damasippus *Φ* || **152** nunquam *PAGU* nusquam *Φ* || **153** annuet atque] annuet. ipse *Marklandus* || **155** robumque P^1 *Sang. lem. schol.* rubumque *GU* probumque *FH* torvumque *Φ* furvumque *H. Valesius* || **157** eponam P^1 *lem. schol. FGH* iponam *vel* yponam *Φ* | facies solida *GL* facie solida *FHZ* | picta *Z* || **159** syrophoenix ... idymaeae *om. F et del. Hermann* || **159** assiduo] Assyrio *Dorleans* | unctus P^2*A* || **160** *versum om. A et del. Jahn* | curret *AL*H^2 | portae] Petrae *Froehner ingeniose*; *post 160 unum versum excidisse susp. Housman* || **161** ⟨et⟩ dominum *Helmbold* | salutans *Leo* || **162** et] iam *Helmbold* | cyenis *ut vid.* P^1 | lagona P^1 laguna *GU* lagoena *Φ* Lacaena (*proprium scorti*) *Marklandus*

Defensor culpae dicet mihi, 'fecimus et nos
haec iuvenes.' esto: desisti nempe, nec ultra
165 fovisti errorem. breve sit quod turpiter audes;
quaedam cum prima resecentur crimina barba.
indulge veniam pueris: Lateranus ad illos
thermarum calices inscriptaque lintea vadit
maturus bello Armeniae Syriaeque tuendis
170 amnibus et Rheno atque Histro. *praestare Neronem*
securum valet haec aetas. mitte Ostia, Caesar,
mitte, sed in magna legatum quaere popina.
invenies aliquo cum percussore iacentem,
permixtum nautis et furibus ac fugitivis,
175 inter carnifices et fabros sandapilarum
et resupinati cessantia tympana galli.
aequa ibi libertas, communia pocula, lectus
non alius cuiquam, nec mensa remotior ulli.
quid facias talem sortitus, Pontice, servum?
180 nempe in Lucanos aut Tusca ergastula mittas.
at vos, Troiugenae, vobis ignoscitis, et quae
turpia cerdoni, Volesos Brutumque decebunt?

P AFGHKLOTUZ

163 dicet P^{2}*GT* dicit *Φ et fort.* P^{1} || **166** resecentur *PAGL OU* resecantur *cett.* || **167** lateranus P^{1}*GU lem.* damasippus *cett., utrumque agnoscit schol.* || **168** inscriptaque] scriptaque P^{1} scriptaque ad *A* || **170** amnibus] finibus *Marklandus* | praestare ... aetas *delevit Nisbet* || **171** Ostia] haec ostia *K* || **174** et ... ac *PA GU Sang.* aut ... aut *Φ* || **175** *vv. lectt.* sandaliorum, sardanapallo⟨s⟩ *agnoscit schol., corruptis etiam tum Iuvenalis verbis* || **179** pontice] regule *GU* || **181** at] an *FZ* | troiucae *P* || **182** cerdonis P^{1} cerdonii *lem.* | volesos *Φ* volusos *O* volsos *P* | brutumque *Φ* rutulumque *GU* rut*umque *P* (*cf. Verg. A. 11,463–464 'tu, Voluse ... duc et Rutulos'*)

Quid si nunquam adeo foedis adeoque pudendis
utimur exemplis, ut non peiora supersint?
185 consumptis opibus vocem, Damasippe, locasti
sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli.
Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
iudice me dignus vera cruce. nec tamen ipsi
ignoscas populo: populi frons durior huius,
190 qui sedet et spectat triscurria patriciorum,
planipedes audit Fabios, ridere potest qui
Mamercorum alapas. quanti sua funera vendant
quid refert? vendunt nullo cogente Nerone.
nec dubitant celsi praetoris vendere ludis.
195 finge tamen gladios inde, atque hinc pulpita poni:
quid satius? mortem sic quisquam exhorruit, ut sit
zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi?
res haud mira tamen citharoedo principe mimus
nobilis. haec ultra quid erit nisi ludus? et illic
200 dedecus urbis habes, nec murmillonis in armis

P AFGHKLOTUZ

183 quid] quod *P[1] lem.* || **186** sipario *P[1] lem. Probus* siphario *Φ* || **190** spectans *Withofius* | triscuria *Sang.* trancurria *Eremita* discrimina *Withofius* || **191** qui] quis *FOZ* || **192** funera] vel vulnera *v. in PAU,* munera *coni. Dobree* verbera *coni. Courtney* || **194** *damnavit Ruperti* | Celsi *quasi proprium accipiunt nonnulli* | praetores cernere *Jacobs* || **195** poni *P[1] et coniecerat Sterke* pone *Φ* ponunt *H* || **196** sic *O* si *PΦ* || **197** *versum sic exhibet Mico:* Tros tyrios stupidos timidus collega chorintus. | stupidis *P[1] Sang.* stupidus *Bolton* || **198** haud] aut *P[1] lem. AFU[1]Z* | mimus *GU schol. et fort. P[1]* natus *Φ* || **199** ludus] nudus *Scholte* | et illic] et illinc *FHK[1]Z* at illud *Heinrich* (et illud *iam Marklandus*)

nec clipeo Gracchum pugnantem aut falce supina,
damnat enim tales habitus, sed damnat et odit,
nec galea faciem abscondit: movet ecce tridentem.
postquam vibrata pendentia retia dextra
205 nequiquam effudit, nudum ad spectacula vultum
erigit et tota fugit agnoscendus harena.
credamus tunicae, de faucibus aurea cum se
porrigat et longo iactetur spira galero.
ergo ignominiam graviorem pertulit omni
210 vulnere cum Graccho iussus pugnare secutor.
Libera si dentur populo suffragia, quis tam
perditus ut dubitet Senecam praeferre Neroni?
cuius supplicio non debuit una parari
simia nec serpens unus nec culleus unus.
215 par Agamemnonidae crimen, sed causa facit rem
dissimilem: quippe ille deis auctoribus ultor
patris erat caesi media inter pocula, sed nec
Electrae iugulo se polluit aut Spartani
sanguine coniugii; nullis aconita propinquis
220 miscuit, in scena nunquam cantavit Oresten,

P AFGHKLOTUZ

201 pugnantem aut *P[1] Sang. lem. AGU* aut pugnantem *Φ* pugnantem et *Lubinus* || **202** *versum damnaverunt Guietus, Peyraredus, Paldamus* | sed damnat ... **203** abscondit *damnavit Hermann; locum sic refinxit Housman:* damnat enim tales habitus: movet ecce tridentem, nec galea faciem abscondit, sed damnat et odit *quod in tanto viro dolendum est* | sed *PAGU* et *cett.* || **203** galeam *P[1]* | faciem *PAGU* fontem *F* frontem *Φ* || **204** librata *Courtney* || **205** effundit *P[1]* || **206** adcognoscendus *G* || **208** iactetur cum spira *ut vid. P[1]* || **209 s.** *versibus facile carere possimus* || **211** quis tam] qui sunt *Sang.* || **212** perferre *P* || **220** Oresten *Weidner* orestes *libri*

Troica non scripsit. quid enim Verginius armis
debuit ulcisci magis aut cum Vindice Galba?
quod Nero tam saeva crudaque tyrannide fecit.
haec opera atque hae sunt generosi principis artes,
225 gaudentis foedo peregrina ad pulpita cantu
prostitui Graiaeque apium meruisse coronae.
maiorum effigies habeant insignia vocis:
ante pedes Domiti longum tu pone Thyestae
syrma vel Antigones seu personam Melanippes,
230 et de marmoreo citharam suspende colosso.
Quid, Catilina, tuis natalibus atque Cethegi
inveniet quisquam sublimius? arma tamen vos
nocturna et flammas domibus templisque paratis,

P AFGHKLOTUZ

221 verginius *KLOZ* virginius *AGTU* virgilius *P[1] lem. FH* || **222** aut *om. H* || **223** *aut versum delendum censuit Peyraredus aut pro* quod *legendum* quid *vel* quae; *versum damnavit Housman* | tyrannice *P[1]* || **224** haec opera] turpius? *Guietus sane improbabiliter* (quid ... fecit ⟨foedius⟩ *reliqua scilicet versus parte omissa Hoegg miserrimo commento*) | hae sunt *P[1]AGU[2]* haec sunt *U[1]* illae sunt *FH* illae *Φ* || **225** gaudentes *Prisc. gramm. 2,419,4* | cantu *P[1]GU Prisc.* saltu *Φ* || **226** prostitui] praestitit hoc *FH* | grataeque *P[1]GU* grandeque *F* grande atque *H* || **229** antigones *Φ* antigonae *P[1]Mico* | seu *recc. nonnulli et coni. Jahn ed. 1* tu *Φ* *om. P[1]Mico.* aut *Hermann et sic Jahn ed. 2* (Antigones personam vel Melanippes *coni. Buecheler* Ant. ⟨tu⟩ personam aut Mel. *coni. Housman* [vel] ⟨aut⟩ Antigones personam vel Menalippes *coni. Courtney*) | melanippes *H[1]* menalippis *G[1]U* menalippi *P[1]FH[2] Mico schol.* (*'Menalippus est, qui Tydeum occidit'*) menalippes *Φ* || **231** *versum om. FHZ* || **232** inveniat *F* || **233** paratis *P* parastis *Φ*, *qua forma poeta alibi non utitur*

ut bracatorum pueri Senonumque minores,
235 ausi quod liceat tunica punire molesta.
sed vigilat consul vexillaque vestra coercet
hic novus Arpinas, ignobilis et modo Romae
municipalis eques; galeatum ponit ubique
praesidium attonitis et in omni monte laborat.
240 tantum igitur muros intra toga contulit illi
nominis ac tituli, quantum sibi Leucade, quantum
Thessaliae campis Octavius abstulit udo
caedibus assiduis gladio; sed Roma parentem,
Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit.
245 Arpinas alius Volscorum in monte solebat
poscere mercedes alieno lassus aratro;
nodosam post haec frangebat vertice vitem,
si lentus pigra muniret castra dolabra.
hic tamen et Cimbros et summa pericula rerum
250 excipit et solus trepidantem protegit urbem;
atque ideo, postquam ad stragem tabemque volabant
qui nunquam attigerant maiora cadavera corvi,
nobilis ornatur lauro collega secunda.

P AFGHKLORTUZ

234 senonumque minores *in ras in P* || **235** ausi] aut si *P*[1] *lem., unde* aussi *Ribbeck* | liceat] deceat *coni. Guietus et habent recc. nonnulli* || **237** modo] bene *GU* || **239** attonitus *P*[1] | monte *PFGH lem. schol.* mente *U* gente *Φ* *etiam* ponte *agnoscere videtur schol.* (... attonitis; exsomni mente *Scholte;* attonitis et inermi mente *Weidner*) || **241** sibi *dub. Jahn* in *P*[1] *GU lem.* non *Φ* unda *Weidner* vix *Hermann, Ribbeck* ima *Eden, alii alia* (quantum non Leucade, quantum ⟨haud⟩ *Jortin*) || **244** romam *P*[1] *lem.* || **246** lassus] iussus *A*[2] *H*[2] *et ut v. l. additur in P* || **251** ideo] adeo *Eremita* | stragem tabemque *vel* cumulos stragemque (i. e. stragis cumulos) *Nisbet* Cimbros stragemque *libri* || **253** lauru *P*[1] *FG*[2] *H*

plebeiae Deciorum animae, plebeia fuerunt
255 nomina; pro totis legionibus hi tamen et pro
omnibus auxiliis atque omni pube Latina
sufficiunt dis infernis Terraeque parenti.
pluris enim Decii quam quae servantur ab illis.
ancilla natus trabeam et diadema Quirini
260 et fasces meruit, regum ultimus ille bonorum.
prodita laxabant portarum claustra tyrannis
exulibus iuvenes ipsius consulis et quos
magnum aliquid dubia pro libertate deceret,
quod miraretur cum Coclite Mucius et quae
265 imperii fines Tiberinum virgo natavit.
occulta ad patres produxit crimina servus
matronis lugendus; at illos verbera iustis
afficiunt poenis et legum prima securis.
Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
270 Aeacidae similis Vulcaniaque arma capessas,
quam te Thersitae similem producat Achilles.
et tamen, ut longe repetas longeque revolvas
nomen, ab infami gentem deducis asylo;
maiorum primus, quisquis fuit ille, tuorum
275 aut pastor fuit aut illud quod dicere nolo.

P AFGHKLOTUZ

254 plebei *Sang.* | doctorum *G* | plebeie *P¹ lem.* || **256** pube *P¹AGU lem.* plebe *Φ* || **258** *damnavit Dobree, iam Marklando suspectum* | servatur *K¹O², cf. schol. 'ipsa patria quae servata est'* || **259** trabea *Sang.* || **260** ultimus] altissimus *P¹* || **264** Coclite] codice *O* cloclite *Z* || **266** produxit *P¹Z²* conduxit *A* seduxit *F* eduxit *Φ* || **267** lugendus at] lugenda sed *Guietus* | at illis *FHK¹* || **268** poenis et legum] legum poenis et *Ruperti* || **270** volcanique *P* volcani *G* || **275** illud] raptor *voluit Scholte, si recte intelligo*

SATVRA NONA

Scire velim quare toties mihi, Naevole, tristis
occurras fronte obducta, ceu Marsya vinctus.
quid tibi cum vultu, qualem deprensus habebat
Ravola dum Rhodopes uda terit inguina barba?
5 *nos colaphum incutimus lambenti crustula servo.*
non erit hac facie miserabilior Crepereius
Pollio, qui triplicem usuram praestare paratus
circuit et fatuos non invenit. unde repente
tot rugae? certe modico contentus agebas
10 vernam equitem, conviva ioco mordente facetus
et salibus vehemens intra pomeria natis.
omnia nunc contra: vultus gravis, horrida siccae
silva comae, nullus tota nitor in cute, qualem
Bruttia praestabat calidi tibi fascia visci,
15 sed fruticante pilo neglecta et squalida crura.

P AFGHKLOTUZ

1 Naevole] Nebulo *casu nom, ad v. 6* Nebule *vocandi casu habet schol.* || 2 occuras *PU*^{1} | vinctus *Jortinus* victus *libri* || 3 tibi] mihi *Cramer* || 5 *damnaverunt Guyetus, Pinzger, Marklandus; duplicis versionis vestigia hic Leoni visa sunt* || 6 erit *P*^{1}*AGU* erat. *cett.* || 7 polio *F* || 9 rugas *N. Heinsius* || 11 et] ut *F* || 14 *versum et post* 13 *et post* 11 *exhibent GU* | brustia *P* | calida tibi fascia *GU priore loco* calidi circumlita *altero cum Φ* calidi cirum *P*^{1} calidi circumlita *P*^{2} || 15 sed fruticante *Φ Prisc.* sed fructificante *P*^{1} *lem.* sed fructicante *F* fructificante *T* | neglecta] et neglecta *GU*

quid macies aegri veteris quem tempore longo
torret quarta dies olimque domestica febris?
deprendas animi tormenta latentis in aegro
corpore; deprendas et gaudia: sumit utrumque
20 inde habitum facies. igitur flexisse videris
propositum et vitae contrarius ire priori.
nuper enim, ut repeto, fanum Isidis et Ganymedem,
Pacis et advectae secreta palatia Matris
et Cererem (nam quo non prostat femina templo?)
25 notior Aufidio moechus celebrare solebas,
quodque taces, ipsos etiam inclinare maritos.
'Utile et hoc multis vitae genus; at mihi nullum
inde operae pretium. pingues aliquando lacernas
munimenta togae duri crassique coloris
30 et male percussas textoris pectine Galli
accipimus, tenue argentum venaeque secundae.
fata regunt homines; fatum est et partibus illis
quas sinus abscondit; nam si tibi sidera cessant,
nil faciet longi mensura incognita nervi,

P AFGHKLORTUZ

17 torret] torquet *recc. aliquot et coni. Wakefield* || 18 *versum om.* GU^1 | aegro] aequo *schol. Stat. Achill. 1,617,* ipso *coni. Guietus* || 19 utrimque P^2FG^1H || 22 ut] vita (*ex versu praec.*) P^1 | ganymeden HK^1Z ganymedes *F* ganymedis *Valla* || 23 sacrata *Lubinus* | Matri *Nisbet* || 25 celebrare] scelerare P^1 || 26 quodque taces P^1*lem.FGHO* quodque taceo *U* quod taceo atque *Φ* || 27 et *om. GU* | nullo P^1 || 29 *versum iam Marklando suspectum damnavit Ribbeck* | crassique coloris] grassique coloris *GU* crassique solocis *H. Valesius* russique (*vel* rufique) coloris *Scholte* || *post* 32 *leguntur* quae facies ari veteres ceu tempore longo (*cf. v. 16*) in FH || 33 cessant P^1GH^1UZ*schol.* cessent *cett.*

35 quamvis te nudum spumanti Virro labello
viderit, et blandae assidue densaeque tabellae
sollicitent; *αὐτὸσ γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα κίναιδοσ.*
quod tamen ulterius monstrum quam mollis avarus?
"haec tribui; deinde illa dedi; mox plura tulisti."
40 computat et cevet. ponatur calculus; adsint
cum tabula pueri; numera sestertia quinque
omnibus in rebus: numerentur deinde labores.
an facile et pronum est agere intra viscera penem
legitimum atque illic hesternae occurrere cenae?
45 servus erit minus ille miser qui foderit agrum
quam dominum. sed tu sane tenerum et puerum te
et pulchrum et dignum cyatho caeloque putabas.
vos humili asseculae, vos indulgebitis unquam
cultori, iam nec morbo donare parati?
50 en cui tu viridem umbellam, cui sucina mittas
grandia, natalis quoties redit aut madidum ver
incipit et strata positus longaque cathedra
munera femineis tractat secreta Kalendis.

P AFGHKLORTUZ

37 *Graeca multis modis depravata in libris* || **40–150** *om. F* || **40** cum putat *P^1 lem.* | et cevet *GU* (cevet *testantur lem. schol.*) atque cevet *Vat. Pal. 1703 et tres Rupertiani,* atque cavet *P in ras. et Φ, quam miseram lectionem def. Schurzfleisch aliique* || **43–44** *versus quasi immundos et impudicos damnavit Valla* (*cf. 7,240–241*) || **46** quam *P^1GT^1U* non *Φ schol.* | tenerum *P^1 lem. AGT* tener *Φ* || **48–49** *damnavit Ribbeck, nam* tu ... vos ... tu *ferri nequit* || **50** en cui tu *Φ* incultu *P^1 lem. propter v. 49* cultori; *fort. legendum* en cui tum || **53** numera *GU^1* | tractat *P^1G Serv.* tractas *Φ* tradas *Heineccius non male*

dic, passer, cui tot montes, tot praedia servas
55 Apula, tot milvos intra tua pascua lassas?
te Trifolinus ager fecundis vitibus implet
suspectumque iugum Cumis et Gaurus inanis
(nam quis plura linit victuro dolia musto?),
quantum erat exhausti lumbos donare clientis
60 iugeribus paucis? melius nunc rusticus infans
cum matre et casulis et collusore catello
cymbala pulsantis legatum fiet amici?
"improbus es cum poscis," ait; sed pensio clamat
"posce", sed appellat puer unicus ut Polyphemi
65 lata acies, per quam sollers evasit Ulixes.
alter emendus erit, namque hic non sufficit; ambo
pascendi. quid agam bruma spirante? quid, oro,
quid dicam scapulis puerorum aquilone Decembri
et pedibus? "durate atque expectate cicadas"?
70 verum, ut dissimules, ut mittas cetera, quanto
metiris pretio quod, ni tibi deditus essem
devotusque cliens, uxor tua virgo maneret?
scis certe quibus ista modis, quam saepe rogaris

P AFGHKLORTUZ

54 tot praedia *PAGLU* cui praedia *Φ* || **55** lassas *GU et coni. Haupt.* lassos *cett.* || **56** fecundus *coni. Marklandus* || **57** subiectumque *Heinrich* | inanis] in imis *Cellarius* in annis *Reisig apud Weberum* || **59** erit *A* || **60** melius nunc *coni. Housman* melius nec hic *A^1L^1* meliusne hic *cett.* melius, dic *coni. Castiglione* || **61** catulis *P^1A^1* || **62** legatum *P^1 schol. GH^1T* legatus *Φ* || **63** es *Φ* est. *$PAGL^1$* | poscis *P^1A^2GOU* poscit *Φ* | ait *PAGLOZ* ais *Φ* | pensio] pusio *Heinsius* || **64** posces *P^1 lem.* | appellit *Schrevelius* || **66** erat *H* || **68** puerorum *P^1A* servorum *Φ* | aquilone *P^1AGU* mense *Φ*

et quae pollicitus. fugientem nempe puellam
75 amplexu rapui; tabulas quoque ruperat et iam
migrabat; tota vix hoc ego nocte redemi,
te plorante foris. testis mihi lectulus et tu
ad quem pervenit lecti sonus et dominae vox.
instabile ac dirimi coeptum et iam paene solutum
80 *coniugium in multis domibus servavit adulter.*
quo te circumagas? quae prima aut ultima ponas?
nullum ergo meritum est, ingrate ac perfide, nullum,
quod tibi filiolus vel filia nascitur ex me?
tollis enim et libris actorum spargere gaudes
85 argumenta viri. foribus suspende coronas:
iam pater es: dedimus quod famae opponere possis.
iura parentis habes; propter me scriberis heres;
legatum omne capis, necnon et dulce caducum.
commoda praeterea iungentur multa caducis,
90 si numerum, si tres implevero.' iusta doloris,
Naevole, causa tui. contra tamen ille quid affert?
'negligit atque alium bipedem sibi quaerit asellum.
haec soli commissa tibi celare memento
et tacitus nostras intra te fige querelas;
95 nam res mortifera est inimicus pumice levis.

P AGHKLORTUZ

74 nempe *Housman* saepe *libri* || **76** migrabat *Highet* signabat *libri* signabant *Eden* || **77** lectulus] Lar tuus *Jessen* || **79–80** *damnavit Pinzger* || **81** *versus Guieto suspectus* || **82** nullum *alterum om.* P^1, *pro eo habet* avare *A* || **83** vel] aut *A* quod *Schurzfleisch, Ruperti ex cod. Vinariensi* || **84** libris] titulis *Servius Geo. 2,502* | actorum *PAHL lem. schol. Serv.* fastorum *G* astorum U^1 astrorum U^2 auctorum *Φ* || **89** iungentur PU^2 iugentur GU^1 iunguntur *Φ* || **91** nevolet *lem.* | tui] tui tibi *G*

qui modo secretum commiserat, ardet et odit
tanquam prodiderim quicquid scio. sumere ferrum,
fuste aperire caput, candelam apponere valvis
non dubitat; *nec contemnas aut despicias quod*
100 *his opibus* nunquam cara est annona veneni.
ergo occulta teges ut curia Martis Athenis.'
O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum
esse putas? servi ut taceant, iumenta loquentur
et canis et postes et marmora. claude fenestras;
105 vela tegant rimas, iunge ostia, tolle lucernam;
e medio fac eant omnes, prope nemo recumbat:
quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
proximus ante diem caupo sciet; audiet et quae
finxerunt pariter libarius, archimagiri,
110 carptores. quod enim dubitant componere crimen
in dominos, quoties rumoribus ulciscuntur
baltea? nec derit qui te per compita quaerat
nolentem et miseram vinosus inebriet aurem.
illos ergo roges quicquid paulo ante petebas
115 a nobis: taceant. illi sed prodere malunt

P AGHKLORTUZ

96 *versum om.* $O^1 Z^1$ | qui] cui *GU* quo K^1 || **97** ferrum *om.* P^1 || **99 s.** nec contemnas ... hic opibus *damnavit Ribbeck* || **99** non] nec KZ^1 | quod *om.* P^1 || **100** cara est P^1 *lem. G* caras *U* careas *Φ* || **104** canes P^1 *Sang.* || **105** tolle lucernam *Nisbet* tollito (*qua forma Iuvenalis non utitur*) lumen $P^2 GHL^2 U$ *et coni. Jortin* tollite lumen $P^1 AKOZ$ lumen (*omisso verbo*) *L* || **106** *versum delebat Guietus* | face eant *Haupt praeclare* taceant *P* clament *Φ* abeant *Hermann* || **107** secundum $P^2 GHL$ || **109** libarius *ignotus apud Plathnerum et Hirschfeldus* (*cf.* 'libis venalibus' 3,187) librarius *libri et Mico* || **111** ulciscantur *L* || **114** roga *G* || **115** *dist. Nisbet*

arcanum quam surrepti potare Falerni
pro populo faciens quantum Saufeia bibebat.
vivendum recte, cum propter plurima, tunc est,
idcirco ut possis linguam contemnere servi.
120 *praecipue causis ut linguas mancipiorum*
contemnas, nam lingua mali pars pessima servi.
deterior tamen hic qui liber non erit illis
quorum animas et farre suo custodit et aere.
'Utile consilium modo, sed commune, dedisti.
125 nunc mihi quid suades post damnum temporis et spes
deceptas? festinat enim decurrere *velox*
flosculus angustae miseraeque brevissima vitae
portio: dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas
poscimus, obrepit non intellecta senectus.'
130 Ne trepida: nunquam pathicus tibi derit amicus
stantibus et salvis his collibus. undique ad illos

P AGHKLORTUZ

116 portare *P¹K¹* || **117** saufeia *P¹GU* (*cf. 6,320*), laufeia, laufela, laufella *etc. cett.* | vivebat *P¹ sollenni errore* (*sic et 128* vivimus) || **118–123** *damnavit Ribbeck quasi Naevolo μονοδούλῳ minime congruentes* || **118** recte *Φ* recte est *PA* | tunc est *PA* tunc *GU* tunc his *Φ* tunc et *Lachmann* tum vel *Jahn* tum est his *Housman* || **119** *versum hic ponunt PA, post 123 Φ, om. recc. aliquot, damnaverunt Pithoeus Pinzger alii* | possim *AGKLU* || **120–123** *damnavit Jachmann* (*de eis tacet schol., qui tamen 119 interpretatur*); *120–121 iam Jahn damnaverat, contra Pinzger 122–123 eiciebat; duplicis versionis vestigia agnoscebant Teuffel, Leo* || **120** causis] cave sis *Lachmannus* || **121** nam *Φ*, nec *P¹* nunc *Weidner* || **122** non erit illis *Φ* noverit illos *P¹A¹* || **126–127** velox ... brevissima *del. Ruperti, quem dubitanter sequitur Nisbet* || **128** vivimus *P¹* || **129** *versum om. H*

conveniunt et carpentis et navibus omnes
qui digito scalpunt uno caput. alter amator
134a *spes superest; tu tantum erucis imprime dentem*
134 gratus erit: tu tantum erucis imprime dentem.
135 'Haec exempla para felicibus: at mea Clotho
et Lachesis gaudent, si pascitur inguine venter.
o parvi nostrique Lares, quos ture minuto
aut farre et tenui soleo exorare corona,
quando ego figam aliquid quo sit mihi tuta senectus
140 a tegete et baculo? viginti milia fenus
pigneribus positis, argenti vascula puri,
sed quae Fabricius censor notet, et duo fortes
de grege Moesorum, qui me cervice locata
securum iubeant clamoso insistere Circo.
145 sit mihi praeterea curvus caelator et alter
qui multas facies pingit cito: sufficiunt haec.

P AGHKLORTUZ

132 conveniunt *Φ et schol. Lucani 7,726* convenient *P*[1]*AH schol.* || **134a** *habent PA, om. Φ, delent fere editores, ex varia lectione* alter amator | altera maior *ortum putat Buecheler; Housmanno placuit v. 134 pro* tu ... dentem *legere* turbae, properat quae crescere, molli, *sicque 134a servare; post 134a* gratus eris *lacunam statuit Ribbeck, ubi* exempla *illa data sint quae respuit Naevolus v. 135; duplicis versionis vestigia agnoscebat Leo* | erucis] faucis *P* || **135** exempla] excerpta *Guietus* || **136** lacessis *P*[1] | gauden *P*[1] gaudet *P*[2] || **139** fiam *P*[1] | quo] quod *PAGHO* || **142** quae] quam *lem.* || **143–144** *inverso ordine praebet H* | mysorum *P*[1] messorum *A* | locata** *P* locatum *Heinrich* || **145–146** *damnavit Peyraredus* || **146** multas] multa *P*[1] *lem.* maltha *Scaliger* mutas *Cramer* | pingit *PG*[1] pingat *cett.* (*cf. 7,185* condit)

quando ego pauper ero? votum miserabile, nec spes
his saltem; nam cum pro me Fortuna rogatur,
affigit ceras illa de nave petitas
150 quae Siculos cantus effugit remige surdo.'

P AGHKLORTUZ

148 vocatur *P¹A* || **149** affixit *PA¹* adfricuit *coni. Scholte* || **150** effugit] et fugit *P* efugit *A*, *unde* ecfugit *Ribbeck, Housman* | remige nudo *A ex 4,49, ut Knoche aestimat*

SATVRA DECIMA

Omnibus in terris, quae sunt a Gadibus usque
Auroram et Gangen, pauci dinoscere possunt
vera bona atque illis multum diversa, remota
erroris nebula. quid enim ratione timemus
5 aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, ut te
conatus non poeniteat votique peracti?
evertere domos totas optantibus ipsis
di faciles; nocitura toga, nocitura petuntur
militia; torrens dicendi copia multis
10 et sua mortifera est facundia; viribus ille
confisus periit admirandisque lacertis.
sed plures nimia congesta pecunia cura
strangulat et cuncta exsuperans patrimonia census
quanto delphinis ballaena Britannica maior.
15 *temporibus diris igitur iussuque Neronis*
Longinum et magnos Senecae praedivitis hortos

P AFGHKLOTUZ

totam saturam Iuvenali abiudicavit Ribbeck || 1 dinoscere *PAF GU Serv. Geo. 2,461* discernere *Φ* || 5 dextro Iove *Turnebus* (*'dextro pede vota concipere' et Rupertio displicuit*) | concipis *PAF GL¹Z* concupiscis *L²* concupis *Φ* || 7 domus *P¹AF* | opstantibus *P¹* operantibus (*i. e. sacrificantibus*) *recc. nonnulli et coni. Scioppius* || 9 militia *P¹* militiae et *F* militia et *Φ* || 11 perit *PF* || 14 bellena *Sang.* || 15 *versum damnavit Reeve* || 16 Longini *coni. Rupertius*

claudit et egregias Lateranorum obsidet aedes
tota cohors: rarus venit in cenacula miles.
pauca licet portes argenti vascula puri
20 nocte iter ingressus, gladium contumque timebis
et motae ad lunam trepidabis harundinis umbram:
cantabit vacuus coram latrone viator.
Prima fere vota et cunctis notissima templis
divitiae, crescant ut opes, ut maxima toto
25 nostra sit arca foro. sed nulla aconita bibuntur
fictilibus: tunc illa time, cum pocula sumes
gemmata et lato Setinum ardebit in auro.
iamne igitur laudas, quod de sapientibus alter
ridebat, quoties a limine moverat unum
30 protuleratque pedem, flebat contrarius auctor?
sed facilis cuivis rigidi censura cachinni:
mirandum est unde ille oculis suffecerit umor.
perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus, quanquam non essent urbibus illis
35 praetextae, trabeae, fasces, lectica, tribunal.
quid si vidisset praetorem curribus altis
exstantem et medii sublimem pulvere Circi

P AFGHKLOTUZ

17 claudit *Guietus, Nisbet* clausit *libri* || **21** motae *Φ* mota *P¹ lem.* nocte *O* | umbram *PGU* umbra *A* umbras *Φ* || **24** divitiae ⟨et⟩ crescant *Jacobs* | tuto *P¹* || **29**a *Φ* de *PA* || **30** proctuleratque *P lem.* | auctor *P¹A¹GU* alter *Φ* || **31 s.** *spurios putaverunt Heinrich, Scholte, Marklandus* || **31** cuivis] cuius *P¹H¹K¹O* || **33** risu] rusu *Sang.* || **35** praetextae *P¹A schol.* praetexta *Sang.* praetexta et *Φ* || **36** praetorem] victorem *coni. Schrader* || **37** *versus Rupertio suspectus* | stantem *F* | medii *GH¹TU* mediis *P* medio *Φ*

in tunica Iovis et pictae Sarrana ferentem
ex umeris aulaea togae magnaeque coronae
40 tantum orbem quanto cervix non sufficit ulla?
quippe tenet sudans hanc publicus et sibi consul
ne placeat curru servus portatur eodem.
da nunc et volucrem, sceptro quae surgit eburno,
illinc cornicines, hinc praecedentia longi
45 agminis officia et niveos ad frena Quirites,
defossa in loculis quos sportula fecit amicos.
tum quoque materiam risus invenit ad omnes
occursus hominum, cuius prudentia monstrat
summos posse viros et magna exempla daturos
50 vervecum in patria crassoque sub aere nasci.
ridebat curas necnon et gaudia vulgi
interdum et lacrimas, cum Fortunae ipse minaci
mandaret laqueum mediumque ostenderet unguem.
ergo supervacua aut perniciosa petuntur
55 *propter quae fas est genua incerare deorum.*
Quosdam praecipitat subiecta potentia magnae
invidiae; mergit longa atque insignis honorum
pagina. descendunt statuae restemque sequuntur;

P AFGHKLOTUZ

38 tunicam *U* || **41 s.** *damnavit Scholte* | consul] Celsus *Nisbet* || **42** portator *G* || **46** deposta *dub. Scholte* | loculis *Φ* loculos *P*[1], *quod Housmanno placuit* || **47** tum *F* tunc *P lem. schol. AFO* || **50** verbecum *P*[1]*FGLZ* vere cum *U* || **54 s.** *damnavit Knoche* (*v. 54 iam Leo et Jachmann deleverant*) | supervacuo (*adv.*) *coni. Bickel* | *ante* perniciosa *add.* et *Schurzfleisch* vel *Doederlein* et *Kempf* quae *Buecheler* sibi *Vahlen* ne *Lachmann, alii alia* | petuntur] petantur *Lachmann, qui interrogationis notam post* deorum *ponebat,* petunt nec *Vahlen* || **55** incerate (*mod. imper.*) *Madvig*

ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
60 caedit et immeritis franguntur crura caballis.
iam strident ignes, iam follibus atque caminis
ardet adoratum caput et crepat ingens
Seianus, deinde ex facie toto orbe secunda
fiunt urceoli, pelves, sartago, matellae.
65 pone domi laurus; duc in Capitolia magnum
cretatumque bovem: Seianus ducitur unco
spectandus. gaudent omnes: 'quae labra! quis illi
vultus erat! nunquam, si quid mihi credis, amavi
hunc hominem.' 'sed quo cecidit sub crimine? quisnam
70 delator? quibus indicibus, quo teste probavit?'
'nil horum. verbosa et grandis epistula venit
a Capreis.' 'bene habet; nil plus interrogo.' sed quid
turba Remi? sequitur Fortunam, ut semper, et odit
damnatos. idem populus, si Nortia Tusco
75 favisset, si oppressa foret secura senectus
principis, hac ipsa Seianum diceret hora
Augustum. iampridem, ex quo suffragia nulli

P AFGHKLOTUZ

59 *v. l.* intacta *agnoscit schol.* || **61** strident *P lem. FK Prisc. gramm. II 521,9* stridunt *Φ* || **63** silanus *FL¹Z* || **64** matellae *P¹ Sang. lem. FG* patellae *Φ, utrumque agnoscere videtur schol.* || **65** laurus *P¹ lem. GU* lauros *Φ* || **66** seranus *F* serranus *schol. Hor. carm. 1,35,20* || **67** *versum om. P¹* | expectandus *GU* || **68** quid mihi] quicquam *L¹Z* (*fortasse ex v. 246*) quiddam *FL²* || **70** indiciis *P²AH* || **71** nihil *P* || **73** turba remi *P¹ lem. GH* turbatreme *K* turbarem *schol. Horat. carm. 1.35,25* turba *L* turba tremens (*vel* fremens *vel* frequens *vel* sequens) *Φ schol. Horat.* || **74** nortia *P¹A¹* nutria *P* nurtia *G* nyrtia *schol.* nursia *Φ* || **76** hac] haec *G* ac *lem. FHLZ*

vendimus, effudit curas; nam qui dabat olim
imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
80 continet atque duas tantum res anxius optat –
panem et circenses. 'perituros audio multos.'
'nil dubium: magna est fornacula.' 'pallidulus mi
Bruttidius meus ad Martis fuit obvius aram;
quam timeo, victus ne poenas exigat Aiax
85 ut male defensus. curramus praecipites et,
dum iacet in ripa, calcemus Caesaris hostem.
sed videant servi, ne quis neget et pavidum in ius
cervice obstricta dominum trahat.' hi sermones
tunc de Seiano, secreta haec murmura vulgi.
90 visne salutari sicut Seianus, havere
tantundem atque illi summas donare curules,
illum exercitibus praeponere, tutor haberi
principis angusta Caprearum in rupe sedentis
cum grege Chaldaeo? vis certe pila, cohortes,
95 egregios equites et castra domestica: quidni

P AFGHKLOTUZ

78 effudit P^1 *lem. GLZ* effugit *Φ* || **80** optet *F* || **81** panem A^1FGU^2 pan** *PLO* panim U^1Z pan *Φ* || **82** pallidus P^1Z | mi] mihi P^1 ante *pro* mihi (*accepta lectione* pallidus) *coni. Buecheler* || **83** bruttidius *PGKLU* brutidius *Φ* | fuit obvius] fugit ocius *Dorleans* || **84** quam] non *Nisbet* | timeo victis, ne *Weidner* || **85** ut] aut *FZ* | et] et sic *F* sic *Z* ut *recc.* || **87** in ius PK^2L^2 intus *GU* in huius *F* huius *Φ* || **88** obstricta *PA* a(d)stricta *Φ* || **89** tunc] tum *GU* | selano *FZ* || **90** selanus *FZ* | havere *Lachmann* haberi $P^2FK^1U^1$ habere *cett.* || **91–92** *versus propter repetitum* habere ... haberi *om. H* || **91** illis *Sang.* K^1Z alias *F* | summas P^1 *Sang.* (*ambobus locis*) *A* sellas *Φ* || **93** augusta (*propter vocem* principis) *PA* || **94** certe] ducere *Scioppius*

haec cupias? et qui nolunt occidere quenquam
posse volunt. sed quae praeclara et prospera tanti,
ut rebus laetis par sit mensura malorum?
huius qui trahitur praetextam sumere mavis,
100 an Fidenarum Gabiorumque esse potestas
et de mensura ius dicere, vasa minora
frangere pannosus vacuis aedilis Ulubris?
ergo quid optandum foret ignorasse fateris
Seianum; nam qui nimios optabat honores
105 et nimias poscebat opes, numerosa parabat
excelsae turris tabulata, unde altior esset
casus et impulsae praeceps immane ruinae.
quid Crassos, quid Pompeios evertit et illum
ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
110 summus nempe locus nulla non arte petitus
magnaque numinibus vota exaudita malignis.
ad generum Cereris sine caede ac sanguine pauci
descendunt reges et sicca morte tyranni.
Eloquium ac famam Demosthenis aut Ciceronis
115 incipit optare et totis quinquatribus optat
quisquis adhuc uno parcam colit asse Minervam,
quem sequitur custos angustae vernula capsae.

P AFGHKLOTUZ

96 cupies *FL[1]Z* || **97** tanti *PAGschol.* tantum *Φ, quod probat Marklandus* || **98** laetis rebus *A* || **101** de *om. F[1], post* ius *ponit G* || **102** vacuis *P[1]AGU* vacuusque *F* vacuisque *Φ* || **109** dominos *praeeunte Marklando Arntzenius, cum 'Romanos rerum dominos' in animo haberet; sed bestiarum domitarum imago bene se habet* || **110** nullus *Sang.* || **112** ac *PAFGLOUZ* et *HKT Serv. Geo. 2,498* | sanguine *GU Serv., probante Marklando,* vulnere *cett.* || **114** ac *Φ* aut *P[1] Sang. AH[2]* | aut] ac *L* et *Guietus* || **116** parcam *P* partam *Φ non male* || **117** vernulae *P[1]*

eloquio sed uterque perit orator, utrumque
largus et exundans leto dedit ingenii fons.
120 ingenio manus est et cervix caesa, nec unquam
sanguine causidici maduerunt rostra pusilli.
'o fortunatam natam me consule Romam!'
Antoni gladios potuit contemnere, si sic
omnia dixisset. ridenda poemata malo
125 quam te, conspicuae divina Philippica famae,
volveris a prima quae proxima. saevus et illum
exitus eripuit, quem mirabantur Athenae
torrentem et pleni moderantem frena theatri.
dis ille adversis genitus fatoque sinistro,
130 quem pater ardentis massae fuligine lippus
a carbone et forcipibus gladiosque paranti
incude et luteo Vulcano ad rhetora misit.
Bellorum exuviae, truncis affixa tropaeis
lorica et fracta de casside buccula pendens
135 et curtum temone iugum victaeque triremis
aplustre et summo tristis captivus in arcu
humanis maiora bonis creduntur. ad hoc se
Romanus Graiusque et barbarus induperator
erexit; casus discriminis atque laboris
140 inde habuit: tanto maior famae sitis est quam

P AFGHKLOTUZ

127 mirabantur] iam mirantur *A*[1] mirantur *U* || **128** torquentem *dub. Marklandus* || **131** forpicibus (*nisi forte* forficibus) *P*[1] forticibus *A* poticibus *F* | paranti *PGU* parant *F* parante *Φ* || **132** luteo] tuto *Jacobs* rutilo *Scholte* (luteum Vulcanum *accipio fornacem fictilem vel latericiam*) || **134** pendet *Serv. Aen. 11,9* || **136** captivos *P*[1] captibos *F*[1] || **137** ad hoc] ad hos *P*[2]*AL*[2] ad haec *recc. nonnulli* || **138** gratusque *F* | et] ac *GU* || **140** tantum *F*

virtutis. quis enim virtutem amplectitur ipsam,
praemia si tollas? patriam tamen obruit olim
gloria paucorum et laudis titulique cupido
haesuri saxis cinerum custodibus, ad quae
145 discutienda valent sterilis mala robora fici,
quandoquidem data sunt ipsis quoque fata sepulcris.
expende Hannibalem: quot libras in duce summo
invenies? hic est, quem non capit Africa Mauro
percussa Oceano Niloque admota tepenti.
150 *rursus ad Aethiopum populos aliosque elephantos.*
additur imperiis Hispania: Pyrenaeum
transsilit. opposuit natura Alpesque nivemque:
diducit scopulos et montem rupit aceto.
iam tenet Italiam: tamen ultra pergere tendit.
155 'actum' inquit 'nihil est, nisi Poeno milite portas
frangimus et media vexillum pono Subura.'
o qualis facies et quali digna tabella
cum Gaetula ducem portaret belua luscum!
exitus ergo quis est? o gloria! vincitur idem
160 *nempe et in exilium praeceps fugit atque ibi magnus*

P AFGHKLOTUZ

145 robula *P¹* | fici *P¹GZ¹* ficus *Φ* || **146** *versum delebat Pinzger haud scio an recte* || **147** quod *P. Sang.* || **149** perfusa *P²G L²U* | amota tepente *Marklandus quod doleo* || **150** *versum damnavit Nisbet* | rursus ad Aethiopum populos] furvos Aeth. ad populos *Jacobs* versus ad Aeth. populos *C. Valesius,* prorsus ad Aeth. populos *Freinshemius* | aliosque *Φ Prisc. gramm. II 217,17* altosque *PA¹* albosque *Plathner, Jacobs* atrosque *Ronnick* || **152** imposuit *Prisc. gramm. II 328,19* apposuit *schol. Lucani 1,481* || **153** diduxit *recc. nonnulli* | rupit *P²AGLZ Comm. Einsidl.* || **154** tendere pergit *F* || **155** actum *PHT* acti *cett.* | nil *Z* || **157** o] et *F* || **160** *versum delevit Nisbet*

mirandusque cliens sedet ad praetoria regis
donec Bithyno libeat vigilare tyranno.
finem animae quae res humanas miscuit, olim
non gladii, non saxa dabunt nec tela, sed ille
165 Cannarum vindex et tanti sanguinis ultor
anulus. i, demens, et saevas curre per Alpes
ut pueris placeas et declamatio fias.
unus Pellaeo iuveni non sufficit orbis;
aestuat infelix angusto limite mundi
170 ut Gyarae clausus scopulis parvave Seripho.
cum tamen a figulis munitam intraverit urbem,
sarcophago contentus erit. mors sola fatetur
quantula sint hominum corpuscula. creditur olim
velificatus Athos et quicquid Graecia mendax
175 audet in historia, constratum classibus isdem
suppositumque rotis solidum mare; credimus altos
defecisse amnes epotaque flumina Medo
prandente, et madidis cantat quae Sostratus alis.
ille tamen qualis rediit Salamine relicta,
180 in Corum atque Eurum solitus saevire flagellis
barbarus, Aeolio nunquam hoc in carcere passos,

P AFGHKLOTUZ

162 bithynio *P² Z²* | iugulare *AG* || **164** nec *PFGU* non *Φ* || **166** i. *om. P* et *A¹* | i, demens, i, saevas *coni. Burmannus, sed cf. 6,306:* i nunc et dubita *et 10,310:* i nunc et ... laetare *et 12,57:* i nunc et ... committe; *plura dat Heinrich. ad locum* || **170** cyare *P¹ GU* | parvave *H. Valesius,* parvaque *libri* || **172** erat. *L* || **173** sunt *HLU* | hominis *AKT, om. H* | olim *om. schol. Lucani 2,677* || **174** Athos] ad hos *P* | quidqui *P¹ lem.* || **175** constractum *P¹* | isdem] idem *A¹ F¹ G* || **176** altos *om. P¹* || **178** prandentem *GU* || **180** servire (*ex v. 184*) *P¹* || **181** aelio *P*

ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigaeum –
mitius id sane: quid? non et stigmate dignum
credidit? huic quisquam nollet servire deorum? –
185 sed qualis rediit? nempe una nave, cruentis
fluctibus ac tarda per densa cadavera prora.
has toties optata exegit gloria poenas.
'Da spatium vitae! multos da, Iuppiter, annos!'
hoc recto vultu, solum hoc et pallidus optas.
190 sed quam continuis et quantis longa senectus
plena malis! deformem et taetrum ante omnia vultum
dissimilemque sui; deformem pro cute pellem
pendentesque genas et tales aspice rugas,
quales, umbriferos ubi pandit Tabraca saltus,
195 in vetula scalpit iam mater simia bucca.
plurima sunt iuvenum discrimina: pulchrior ille
hoc atque ore alio; multum hic robustior illo.

P AFGHKLOTUZ

183 quid? non ... credidit? *E. G. Weber* quod non ... credidit *libri* | quod non] quandoque *Heineccius* || **184** credidit *P[1] lem. G* crederet *Φ* | nollet *Housman, 'ne tam subito deseratur ironia'*, vellet *libri* || **187** *versum seriori manui tribuit Heinrich* | exigit *P* || **188** multos da] multos dat *P[1]* da multos *K et recc. nonnulli* || **189** *versum insiticium putavere Guietus et Marklandus* | recto vultu solum *P[2] AHKT* vultu solum *GU* alto recto vultu solum *P[1]* altus caelumque tuens *LZ* altus caelum intuens *F* alius caelumque tuens *O* || **192** deformem *repetitum suspicionem movet;* follentem *coni. Nisbet* || **193** tales] aniles *Heinsius,* turpes *Scholte* densas *De Jonge* | umbrifero *P[1] lem.* | tabacra *P[2] H[2] K[2] U* trabaca *H[1]* || **195** iam mater *Courtneio suspectum;* Garamantis *Ferguson* iam marcens *Nisbet* | buccis [*Sergius*] *gramm. 4,494,28* || **196** illo *lem., unde* illo hic *pro* ille hoc *dub. Knoche* || **197** ore alio *Housman, cui et* hoc vultuque alio *in mentem venerat* alio *PO* ille

una senum facies: cum voce trementia membra
et iam leve caput madidique infantia nasi.
200 frangendus misero gingiva panis inermi.
usque adeo gravis uxori natisque sibique
ut captatori moveat fastidia Cosso.
non eadem vini atque cibi torpente palato
gaudia; nam coitus iam longa oblivio, vel si
205 coneris, iacet exiguus cum ramice nervus
et, quamvis tota palpetur nocte, iacebit.
anne aliquid sperare potest haec inguinis aegri
canities? quid quod merito suspecta libido est
quae venerem affectat sine viribus? aspice partis
210 nunc damnum alterius. nam quae cantante voluptas,
sit licet eximius, citharoedo sive Seleuco
et quibus aurata mos est fulgere lacerna?
quid refert, magna sedeat qua parte theatri,
qui vix cornicines exaudiet atque tubarum
215 concentus? clamore opus est ut sentiat auris
quem dicat venisse puer, quot nuntiet horas.

P AFGHKLOTUZ

alio *Φ* ardalio *Giangrande* eloquio *Martyn* | multum] multo [*Sergius*] *gramm. IV 492,13*

198 membra] labra *A²GU* verba *LZ, om. Sang.* || **199** ut leve omne caput *GU* et leve caput *Z* | iam *om. Z* | madidaque *P¹* | nasci *F¹U¹* || **200** miseris *AL* || **202** captori moveant *P¹* | Cossus *La Fleur non ita feliciter* || **205** coneris] conversi *P¹* || **211** sit licet] scilicet *v. l. in P* sic licet *F* | citharoedo *P* cithareda *Sang.* cithedo *F* citharoedus *Φ* | sive *P Sang. FG* sitve *Φ* | seleuco *P Sang.* eleuco coraules *F* seleucos *GU* seleucus *Φ* || **214** exaudiet *P¹AGU* exaudiat *Φ*

praeterea minimus gelido iam in corpore sanguis
febre calet sola, circumsilit agmine facto
morborum omne genus, quorum si nomina quaeras,
220 promptius expediam quot amaverit Oppia moechos
quot Themison aegros autumno occiderit uno,
quot Basilus socios, quot circumscripserit Hirrus
pupillos, quot longa viros exsorbeat uno
Maura die, quot discipulos inclinet Hamillus.
225 *percurram citius quot villas possideat nunc*
quo tondente gravis iuveni mihi barba sonabat.
ille umero, hic lumbis, hic coxa debilis; ambos
perdidit ille oculos et luscis invidet; huius
pallida labra cibum accipiunt digitis alienis;
230 ipse, ad conspectum cenae diducere rictum
suetus, hiat tantum ceu pullus hirundinis, ad quem
ore volat pleno mater ieiuna. sed omni
membrorum damno maior dementia, qua nec
nomina servorum nec vultum agnoscit amici
235 cum quo praeterita cenavit nocte, nec illos
quos genuit, quos eduxit. nam codice saevo
heredes vetat esse suos; bona tota feruntur

P AFGHKLOTUZ

217 in *om. AGKU* || **220** oppia *P¹AF* eppia *GU lem. schol. fort. recte, cf. 6,82* ippia *Φ* || **221** uno] uno tutor *P* || **222** basilius *F et lemma Sangallense* | circumpserit *ut v. l. ss. in P* || **223** uno] vino *Sang. 33* || **224** camillus *F* || **225–226** *damnavit De Jonge* || **229** cipum *Sang.* || **230** ipse] ille *G* | diducere *P¹GH²LOUZ* deducere *Φ* || **231** ad quem] atque *P¹* || **232** mater ieiuna] materie luna *P¹* || **233** maior] peior *Guietus* | qua *Scholte* quae *libri* || **234** ignoscit *F* || **235** *versum om. FLZ* | nec] neque *GU* | illos] ipsos *Weidner* || **237** feruntor *Scholte nimis anxie*

ad Phialen: tantum artificis valet halitus oris
quod steterat multis in carcere fornicis annis.
240 ut vigeant sensus animi, ducenda tamen sunt
funera natorum, rogus aspiciendus amatae
coniugis et fratris plenaeque sororibus urnae.
haec data poena diu viventibus, ut renovata
semper clade domus multis in luctibus atque
245 *perpetuo maerore et nigra veste senescant.*
rex Pylius, magno si quicquam credis Homero,
exemplum vitae fuit a cornice secundae.
felix nimirum, qui tot per saecula mortem
distulit atque suos iam dextra computat annos.
250 *quique novum toties mustum bibit. oro parumper*
attendas quantum de legibus ipse queratur
fatorum et nimio de stamine, cum videt acris
Antilochi barbam ardentem, cum quaerit ab omni
quisquis adest socio, cur haec in tempora duret,
255 quod facinus dignum tam longo admiserit aevo.
haec eadem Peleus, raptum cum luget Achillen,
atque alius, cui fas Ithacum lugere natantem.

P AFGHKLOTUZ

239 *'fortasse damnandus' Knoche* || **240** ducenta tamen sint *P* || **241** funeratorum *P*[1] | amicae *FL*[1]*Z* || **243–245** *damnavit Nisbet* | viventibus] viventi est (*deinde* senescat) *Weidner* || **244** multisque *G* || **245** maerore] paedore *Wakefield* | senescat *P*[1] || **246** pelius *Φ* | quiquam *P* || **247** fuit a] fulta *Sang. ambobus locis* || **248** qui] quod *F* || **250** *versus frigidissimus melius abesset* || **253** cum *PT et fort. G*[1] nam *Φ* || **254** socio *Φ* socius *P* (*cf. 11,85* 'nova, si quam dabat hostia, carne' *v. l.* carnem) || **256–257** *versus commode abessent, nam Pelei Laertaeque mentione a Priami doloribus abducimur* | achillen *P*[1] *Sang.* achillem *Φ* || **257** fassit ithacum *P*

incolumi Troia Priamus venisset ad umbras
Assaraci magnis sollennibus, Hectore funus
260 portante ac reliquis fratrum cervicibus, inter
Iliadum lacrimas, ut primos edere planctus
Cassandra inciperet scissaque Polyxena palla,
si foret exstinctus diverso tempore, quo non
coeperat audaces Paris aedificare carinas.
265 longa dies igitur quid contulit? omnia vidit
eversa et flammis Asiam ferroque cadentem.
tunc miles tremulus posita tulit arma tiara
et ruit ante aram summi Iovis ut vetulus bos,
qui domini cultris tenue et miserabile collum
270 praebet, ab ingrato iam fastiditus aratro.
exitus illi utcumque hominis, sed torva canino
latravit rictu quae post hunc vixerat uxor.
festino ad nostros, et regem transeo Ponti
et Croesum, quem vox iusti facunda Solonis
275 respicere ad longae iussit spatia ultima vitae.
exsilium et carcer Minturnarumque paludes
et mendicatus victa Carthagine panis

P AFGHKLOTUZ

258 priamum emisisset *F* priamum venisset *Z* | umbram *Marklandus* || **259** magni P^1 || **263** *versus post 281 repetitur in A* | non P^1 iam *Φ* || **264** audacis *F* || **266** eversam P^1 *lem.* || **267** tunc] tum *Z* || **268** summi ... || **270** ingrato *om. F* | summi] Hercei *Marklandus ludens potius quam emendans* || **269** tenue] caput L^1 || **271** illi *scripsi* ille *libri* || **272** quae] quod *KLZ* | vixerat *PAGU* vixerit *Φ* || **274** quem vox iusti *PAGU* iusti quem vox *Φ* | iusti facunda] iustificanda P^1 | salonis HK^1L^2 || **275** longae] longa et P^1 || **276** paludis *PF* || **277** victa] aucta *lem.* (*sed postea 'Carthaginem ... vicerat Marius' schol.*)

hinc causas habuere. quid illo cive tulisset
natura in terris, quid Roma beatius unquam
280 si circumducto captivorum agmine et omni
bellorum pompa animam exhalasset opimam,
cum de Teutonico vellet descendere curru?
provida Pompeio dederat Campania febres
optandas, sed multae urbes et publica vota
285 vicerunt: igitur Fortuna ipsius et Urbis
servatum victo caput abstulit. hoc cruciatu
Lentulus, hac poena caruit ceciditque Cethegus
integer et iacuit Catilina cadavere toto.
   Formam optat modico pueris, maiore puellis
290 murmure, cum Veneris fanum videt, anxia mater
usque ad delicias votorum. 'cur tamen' inquit
corripias? pulchra gaudet Latona Diana'.
sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
ipsa habuit; cuperes Rutilae, Verginia, gibbum
295 accipere osque tuum Rutilae dare. filius autem
corporis egregii miseros trepidosque parentes
semper habet: rara est adeo concordia formae

P AFGHKLOTUZ

281 pompas *K*, pompa si *et* pompa atque *recc.* || **282** *versus displicuit Guieto* || **284** multae] maestae *Ruhnkenius,* pullae *Herelius* || **286** servato *FZ* | victo *Z* || **288** tacuit *Z* || **293** *versum om. F* | Lucretia] lueret in P^1 *lem.* || **294** *versum om. G* | cuperes P^1 *Sang., quod recepit Housman* cuperet *Φ* | verginia ... rutilae *om. F et delebat Knoche, sed frustra* | ipsam *lem.* | virginea P^1 *Sang. lem.* | gibbum] tergum *Scholte* || **295** osque tuum *Housman Weidnerum secutus, qui* osque suum *coiecerat,* atque suum *PGU* atque suam *Φ* atque sinum *Jessen* et speciem *Martyn* et quaestum *Green satis inepte* || **297** famae K^1 *Z*

atque pudicitiae. sanctos licet horrida mores
tradiderit domus ac veteres imitata Sabinas,
300 praeterea castum ingenium vultumque modesto
sanguine ferventem tribuat natura benigna
larga manu (quid enim puero conferre potest plus
custode et cura natura potentior omni?),
non licet esse viro. nam prodiga corruptoris
305 improbitas ipsos audet temptare parentes:
tanta in muneribus fiducia. nullus ephebum
deformem saeva castravit in arce tyrannus,
nec praetextatum rapuit Nero loripedem vel
strumosum atque utero pariter gibboque tumentem.
310 i nunc et iuvenis specie laetare tui, quem
maiora exspectant discrimina. fiet adulter
publicus et poenas metuet quascunque mariti
lex irae debet, nec erit felicior astro
Martis, ut in laqueos nunquam incidat. exigit autem
315 interdum ille dolor plus quam lex ulla dolori

P AFGHKLOTUZ

299 sabinos *FG et* P^2 *litteris* inos *in rasura exstantibus* || **300** modesto P^1G modestum *Φ* || **301** sanguinem P^1 *lem.* || **302 s.** *fortasse* potes *et* Natura *legendum* || **304** viro *coni. Jahn, praeeunte Marklando, et habet* H^2 viros *PA* viris *Φ* || **308** vel] nec *GU et in ras.* P^2 || **310** i nunc et *GU* inunget *P lem.* nunc ergo *Φ* | iuvenis specie P^1 *lem. AGOU* specie iuvenis *Φ* || **312** metuit *P* | maritis (*deinde* iratis debet) *Rigaltius* maritus (*deinde* exigit iratus) *Farnabius* mariti *libri* || **313** lex irae debet *Housman* irati debet P^1 exire irati debent *A* irati debent *F* exigere irati debent *Φ*, ex ira debet *Clausen*, irae debebit *Courtney*, ⟨est⟩ exigere irati *Manso*, ira sibi debet *Madvig* exigere irati *Eremita* exigere iratist *Munro, alii alia* || **314** autem *om. GU*

concessit: necat hic ferro, secat ille cruentis
verberibus; quosdam moechos et mugilis intrat.
sed tuus Endymion dilectae fiet adulter
matronae. mox cum dederit Servilia nummos,
320 fiet et illius quam non amat, exuet omnem
corporis ornatum; quid enim ulla negaverit udis
inguinibus, sive est haec Oppia sive Catulla?
deterior totos habet illic femina mores.
'sed casto quid forma nocet?' quid profuit immo
325 Hippolyto grave propositum, quid Bellerophonti?
erubuit nempe haec ceu fastidita repulsa.
nec Stheneboea minus quam Cressa excanduit, et se
concussere ambae. mulier saevissima tunc est
cum stimulos odio pudor admovet. elige quidnam
330 suadendum esse putes cui nubere Caesaris uxor
destinat. optimus hic et formosissimus idem
gentis patriciae rapitur miser exstinguendus

P AFGHKLOTUZ

320 exuet *de muliere post* fiet *de viro semper mihi suspectum* || **322** est haec] haec est *LZ* | oppia P^1 *lem. AGU* optia *Φ* (h)ippia P^2 *et recc. nonnulli, cf. v. 220* || **323** *versum iam Marklando suspectum del. Heinrich, ita servare temptabat Mayor ut* Catulla (*ablat.*) deterior? totos *etc. legeret* || **324** immo] ergo *U* || **326** *versum om. Mus. Brit. Add. 11997 et damnavit Knoche; contra post 325 unum versum excidisse putabat Marklandus, quem sic exempli gratia supplevit Helm: 'hospita cum stuprum suaderet sive noverca'* | nempe haec] certe *FLOZ* coepto *Housman* coetu *Mackay* cunno *Wiesen, qua voce nunquam utitur noster, licet ad rem ipsam saepius alludat* | repulso P^1 *lem.* repulsa *Φ, unde* hac ... repulsa *voluit Haupt* || **327** et se] aesse *ut vid.* P^1 hae se P^2 || **328** tunc] tum *Z* || **332** extinguendis *G*

Messalinae oculis. dudum sedet illa parato
flammeolo, Tyriusque palam genialis in hortis
335 sternitur et ritu decies centena dabuntur
antiquo, veniet cum signatoribus auspex.
haec tu secreta et paucis commissa putabas?
nonnisi legitime vult nubere. quid placeat, dic.
ni parere velis, pereundum erit ante lucernas:
340 si scelus admittas, dabitur mora parvula, dum res
nota urbi et populo contingat principis aurem.
dedecus ille domus sciet ultimus. interea tu
obsequere imperio, si tanti vita dierum
paucorum. quicquid levius meliusque putaris,
345 praebenda est gladio pulchra haec et candida cervix.
Nil ergo optabunt homines? si consilium vis,
permittes ipsis expendere numinibus, quid
conveniat nobis rebusque sit utile nostris.
nam pro iucundis aptissima quaeque dabunt di.
350 carior est illis homo quam sibi. nos animorum
impulsu caeco vanaque cupidine ducti
coniugium petimus partumque uxoris; at illis
notum qui pueri, qualisque futura sit uxor.

P AGHKLOTUZ

333 oculus (*i. e. amasio, deliciae*) *Guietus* || **334** flameolo *P*[1] *lem.* || **337** *versum vel suo loco motum vel spurium putavit Marklandus* || **338** dic placeat quid *Sang.* || **339** erit *P*[1] *lem. A* derit *F* exit *G* est *Φ* || **341** urbe *GU* | aures *H et recc. aliqui* || **342** *versum damnavit Nisbet* || **343** si] sit *P*[1] *G non male* || **344** levius meliusque *recc. nonnulli,* leviusque *P* levius meliusve *P*[2] *A* melius leviusque *Φ* || **346** nihil *P* || **349** *versum damnavit Nisbet* || **351** caeco *Leo* et caeca *libri* | vanaque *vel* pravaque *Housman* magnaque *libri, quod mirifice languet* | ducti] capti *HOΦ*

ut tamen et poscas aliquid voveasque sacellis
355 exta et candiduli divina tomacula porci,
orandum est ut sit mens sana in corpore sano.
fortem posce animum mortis terrore carentem,
qui spatium vitae extremum inter munera ponat
naturae, qui ferre queat quoscunque dolores,
360 nesciat irasci, cupiat nihil, et potiores
Herculis aerumnas credat saevosque labores
et venere et cenis et pluma Sardanapalli.
monstro quod ipse tibi possis dare: semita certe
tranquillae per virtutem patet unica vitae.
nullum numen habes, si sit prudentia: nos te,
nos facimus, Fortuna, deam caeloque locamus.

P AFGHKLOTUZ

354 ut tamen et poscas *PA¹GU* ut tamen ut poscas *H¹* at tamen ut poscas *Φ* ut tamen exposcas *Eden* || **355** tomacula *FZ* tumacula *P* macula *lem.* thymatula *GU* tomatula || **356** *versum damnavit Reeve* || **358** ponat] ducat *GU* || **359** dolores *GU, quod probant Rupertius, Hosius* labores *cett.* || **360** nil *A* || **361** saevusque *P¹* || **362** pluma *PA²GK¹U* plumas *A¹F* plumis *Φ* || **365–366** *male huc arreptos ex 14,315–316 vidit Leo; et hos et illos versus damnavit Guietus* | habes *P¹Φ Lactant. 3,29,17* abest *GU* | si adsit *N. Heinsius, quam coniecturam quasi suam protulit Heinrich* | nos te *P¹ lem. AGU Lact. loc. cit.* post te *U* sed te *Φ* || **366** deam] deum *Z* ream *N. Heinsius, quod iure improbavit Graevius.*

SATVRA VNDECIMA

Atticus eximie si cenat, lautus habetur;
si Rutilus, demens. quid enim maiore cachinno
excipitur vulgi quam pauper Apicius? omnis
convictus, thermae, stationes, omne theatrum
5 de Rutilo. nam dum valida ac iuvenalia membra
sufficiunt galeae dumque ardent sanguine, fertur
non cogente quidem, sed nec prohibente tribuno
scripturus leges et regia verba lanistae.
multos porro vides, quos saepe elusus ad ipsum
10 creditor introitum solet exspectare macelli.
et quibus in solo vivendi causa palato est.
egregius cenat meliusque miserrimus horum
et cito casurus iam perlucente ruina.
interea gustus elementa per omnia quaerit

P AFGHKLOTUZ

1–55 *Iuvenali abiudicavit Ribbeck* || 2 rutulus *GH* || 3 omnes *AH* || 4 conventus *U et coni. Barthius* | statione sollemne *P[1] lem. Sang.* || 5 rutulo *GH* | iuvenalia *P[1]FGHLZ* iuvenilia *cett.* || 6 ardent *coni. Barthius et Rigaltius et habent rec. nonnulli* ardenti *PAFGHT* ardentis *LOZ* ardens *KU* ardet *Guietus, Marklandus* || 7 *versus Marklando suspectus* | prohibente] cohibente *HZ* | tribuno] tyranno *dub. Ruperti* || 8 scripturus] scripturit is *Eremita* || 9 elusus] lusus *lem.* clussus *F[1]* || 11 *versus glossatoris ingenium sapit* || 12 miserrimus] novissimus *GU* || 13 prolucente *L* || 14 interea] et *schol. Luc. 10,156* | alimenta *Heinrich* | quaerit *schol. Luc.* *et coni. Marklandus* quaerunt *libri*

15 nunquam animo pretiis obstantibus; interius si
attendas, magis illa iuvant quae pluris ementur.
ergo haud difficile est perituram arcessere summam
lancibus oppositis aut matris imagine fracta
et quadringentis nummis condire gulosum
20 fictile: sic veniunt ad miscillanea ludi.
refert ergo quis haec eadem paret; in Rutilo nam
luxuria est, in Ventidio (laudabile nomen)
sumptus, et a censu famam trahit. illum ego iure
despiciam, qui scit quanto sublimior Atlas
25 omnibus in Libya sit montibus, hic tamen idem
ignorat quantum ferrata distet ab arca
sacculus. e caelo descendit *γνῶθι σεαυτόν*
figendum et memori tractandum pectore, sive
coniugium quaeras vel sacri in parte senatus
30 esse velis; neque enim loricam poscit Achillis
Thersites, in qua se traducebat Ulixes.
ancipitem seu tu magno discrimine causam
protegere affectas, te consule, dic tibi qui sis,
orator vehemens an Curtius aut Matho buccae.

P AFGHKLOTUZ

16 iubant *P¹F* | quae] quo *F* | ementur *P* emuntur *Φ* || **17** est] est illis *G²U* || **18** pacta *Green, quo sensus debilitatur* || **20** miscillanea *P¹ lem. A²* miscel(l)ania *cett.* || **23** sumtus *Heinrich* sumit *libri* || **24** scis *P¹* | quanto *PAHU* quando *G* quantum *Φ* || **26** ignorat *L Paris. 7647 et 17903 ('non se agnoscit' schol.)* ignoret *cett.* ⟨si⟩ ignoret *Manso* || **27** ΓΝΩΣΘΙ *Sang., Graeca varie corrupta in Φ* || **30–32** neque enim ... ancipitem *delebat Heineccius* | neque *P¹AGU* nec *Φ* || **33** qui] quid *Heinsius* || **34** Matho. Buccae n. e. m. suae *vel* tuae *coni. Marklandus satis misere* || **34** aut *Heinrich* et *P¹ lem.* an *Φ*

35 noscenda est mensura sui spectandaque rebus
in summis minimisque, etiam cum piscis emetur:
ne mullum cupias, cum sit tibi gobio tantum
in loculis. quis enim te deficiente crumina
et crescente gula manet exitus, aere paterno
40 ac rebus mersis in ventrem fenoris atque
argenti gravis et pecorum agrorumque capacem?
talibus a dominis post cuncta novissimus exit
anulus, et digito mendicat Pollio nudo.
non praematuri cineres nec funus acerbum
45 luxuriae, sed morte magis metuenda senectus.
hi plerunque gradus: conducta pecunia Romae
et coram dominis consumitur; inde, ubi paulum
nescioquid superest *et pallet fenoris auctor,*
qui vertere solum , Baias et ad ostrea currunt.
50 cedere namque foro iam non est deterius quam
Esquilias a ferventi migrare Subura.
ille dolor solus patriam fugientibus, illa
maestitia est, caruisse anno circensibus uno.
sanguinis in facie non haeret gutta; morantur
55 pauci ridiculum et fugientem ex Urbe Pudorem.

P AFGHKLOTUZ

35 sui] suis *P* sua *G* suae *HU* || **36** emitur *P[1] Sang. G[1]* || **37** ne *P[1] lem. Sang. AFGU* nec *Φ* || **38** te *om. P[1]A* | crumina] crumena *AK[2]* culina *FGU* || **41** pecoris *P[1]GU* || **42–43** *post 45 locabat Kjaer* | a dominis] a damnis *Heinrich* e domibus *dub. Scholte* || **44** praematur *lem. et P[1] ut vid.* || **48 s.** et pallet ... solum *del. Nisbet* | qui] iam *coni. Courtney* || **49** hostria *P[1]* hostrea *P[2]K[1]* hostia *AH[2]L[2]U[2]* || **51** ferventis *P* || **52** patria *H[1]OV* || **54–55** *inverso ordine in FT* || **55** et fugientem *G Prisc. GLK II 389,19 et III 361,22* fugientem *OTU* effugientem *PΦ* (Urbe *et* Pudorem *scribenda esse docuit Courtn.*)

Experiere hodie nunquid pulcherrima dictu,
Persice, non praestem vita et moribus et re,
si laudem siliquas occultus ganeo, pultes
coram aliis dictem, puero sed in ore placentas.
60 nam cum sis conviva mihi promissus, habebis
Evandrum, venies Tirynthius, aut minor illo
hospes, et ipse tamen contingens sanguine caelum.
alter aquis, alter flammis ad sidera missus.
fercula nunc audi nullis ornata macellis.
65 de Tiburtino veniet pinguissimus agro
haedulus et toto grege mollior, inscius herbae
necdum ausus virgas humilis mordere salicti,
qui plus lactis habet quam sanguinis, et montani
asparagi, posito quos legit vilica fuso;
70 grandia praeterea tortoque calentia feno
ova aderunt ipsis cum matribus, et servatae
parte anni quales fuerant in vitibus uvae;
Signinum Syriumque pirum, de corbibus isdem

P AFGHKLOTUZ

56 dictum *P*[1] || **57** vita et moribus *Flor. Riccob. 612, sicut coni. Housman* vita sed moribus *A*[1] *et fort. P*[1] vita vel moribus *P*[2]*GU* vita nec moribus *Φ* vita ⟨ipse⟩ et moribus *Leo* vita tibi (*vel* quoque) moribus *O*[2] *et coni. Buecheler,* ⟨tibi⟩ vita et moribus *Nisbet,* iuxta sermonibus *Hackforth* || **58** si *P*[1] *lem. A* sed *Φ* || **59** sed *in ras. in P om. A*[1] || **61** tirythius *P*[1]*A* || **62** tamen] mihi *Serv. Aen. 6,332* | contingens *P*[1]*AGKTU* contingit *cett.* || **63** *damnavit Heinrich* | missis *F* missi *G, utrum habuerit P*[1] *non liquet* || **64** ornata] onerata *Manso* portata *Schrader* corrasa *Jacobs* || **66** et] e *H. Valesius* || **67** humilis] viridis *GU* || **71** aderunt *Marklandus* adsunt *libri* || **72** parte anni] pampineis *Scholte* arte Anni (*cf. Mart. 7,48*) *Robson* || **73** cordibus *G*[1]*K*[1] collibus *recc. nonnulli*

aemula Picenis et odoris mala recentis
75 nec metuenda tibi, siccatum frigore postquam
auctumnum et crudi posuere pericula suci.
haec olim nostri iam luxuriosa senatus
cena fuit. Curius parvo quae legerat horto
ipse focis brevibus torrebat holuscula quae nunc
80 squalidus in magna fastidit compede fossor,
qui meminit calidae sapiat quid volva popinae.
sicci terga suis rara pendentia crate
moris erat quondam festis servare diebus
et natalicium cognatis ponere lardum,
85 accedente nova, si quam dabat hostia, carne.
cognatorum aliquis titulo ter consulis atque
castrorum imperiis et dictatoris honore
functus ad has epulas solito maturius ibat,
erectum domito referens a monte ligonem.
90 cum tremerent autem Fabios durumque Catonem
et Scauros et Fabricium, rigidique severos
censoris mores etiam collega timeret,
nemo inter curas et seria duxit habendum
qualis in Oceani fluctu testudo nataret

P AFGHKLOTUZ

74 regentis *F* || **75** siccanti *Weidner* || **79** torrebat *Scholte* ponebat *libri, iam Marklando suspectum* || **81** qui meminit *om.* P^1 | quid] qui P^1 || **82** rare *G* | grate P^1 *lem. schol. FGT gloss. 6,502* || **85** dabat PAGU daret *Φ* | carne P^2*AHKLZ* carnem *cett.* || **86** consulit P^1 || **90** autem] adhuc *Heinrich* || **91 s.** *versus damnavit Ribbeck* | fabricium P^1 *lem. schol. G* fabricios *Φ* | rigidique *Φ* postremo *P* || **93** *post* seria *add.* sibi P^1*A* | habendam P^1 || **94** oceani *Φ* oceano P^1*A* (*similiter* litore ab Oceano *Φ infra v. 113*)

95 clarum Troiugenis factura et nobile fulcrum;
sed nudo latere et parvis frons aerea lectis
vite coronati caput ostendebat aselli,
ad quod lascivi ludebant ruris alumni.
tales ergo cibi qualis domus atque supellex.
100 tunc rudis et Graias mirari nescius artes
urbibus eversis praedarum in parte reperta
magnorum artificum frangebat pocula miles
ut phaleris gauderet equus caelataque cassis
Romuleae simulacra ferae mansuescere iussae
105 imperii fato, geminos sub rupe Quirinos
ac nudam effigiem ⟨in⟩ clipeo venientis et hasta
pendentisque dei perituro ostenderet hosti.
ponebant igitur Tusco farrata catino:
argenti quod erat solis fulgebat in armis.

P AFGHKLOTUZ

95 et] ac *GU* || **96** frons *om.* *F*U^1 || **97** vite *Henninius collato Hygino fab. 274* vile *libri* | coronatis (*sc. convivis*) *Ruperti* | coronatae ... asellae *Scioppius* || **98** *versum om. H* || **99** *versum Marklando suspectum del. Heinrich* | qualis] talis *Weidner* || **100** tunc *PAGU* tum *Φ* | gratias *H*U^1, *unde* Graiias *maluit Knoche* gragas *F* gratas *Z* | imitari *GU* || **101** recepta *Nisbet* || **102** artificum magnorum *GU* || **104** iustae *ut vid.* P^1H^1 || **105** rume *Barthius* || **106** ac] et P^2*FLZ* aut *Heinrich* | in *suppl. H. Valesius, om. libri* | venientis *PG Sang. schol.* ful***entis *U* fulgentis *Φ* minitantis *Ruperti* -que nitentis *Merry* | et hasta] ab hasta *Moeser* || **107** pendentesque deos *Lipsius* (*ex memoriae lapsu, ni fallor*) pendentemque deum *Guietus* frendentisque dei *Hildebrandus* | ostenderit P^1 *lem.* || **108–110** *post 116 melius locandos censuit Ribbeck;* || **108–109** *inverso ordine habent recc. nonnulli* | farrata P^1 *lem. schol.* A^2*FG* farraca *Φ* || **108** *damnavit Heinrich*

110 *omnia tunc quibus invideas si lividulus sis.*
templorum quoque maiestas praesentior, et vox
nocte fere media tacitamque audita per urbem
litore ab Oceani Gallis venientibus et dis
officium vatis peragentibus. his monuit nos;
115 hanc rebus Latiis curam praestare solebat
fictilis et nullo violatus Iuppiter auro.
illa domi natas nostraque ex arbore mensas
tempora viderunt; hos lignum stabat ad usus,
annosam si forte nucem deiecerat Eurus.
120 at nunc divitibus cenandi nulla voluptas,
nil rhombus, nil damma sapit, putere videntur
unguenta atque rosae, latos nisi sustinet orbes
grande ebur et magno sublimis pardus hiatu
dentibus ex illis quos mittit porta Syenes
125 et Mauri celeres et Mauro obscurior Indus,
et quos deposuit Nabataeo belua saltu
iam nimios capitique graves. hinc surgit orexis,
hinc stomacho vires; nam pes argenteus illis,
anulus in digito quod ferreus. ergo superbum
130 convivam caveo, qui me sibi comparat et res
despicit exiguas. adeo nulla uncia nobis

P AFGHKLOTUZ

110 *damnavit Knoche* | tunc in quibus *P[1] lem.* || **112** tacitamque *Nisbet* mediamque *libri* || **113** oceani *PGL[2] U* oceano *Φ* || **114 s.** *primus recte dist. Madvig* | his] hos *Marshall* hic *Ruperti* hinc *Heinrich* hoc *Numitor* || **115** latis *P[1] F* || **118** hos *Φ* hoc *PGU* | ad *PA* in *Φ* || **119** defecerat *FZ* || **121** nihil ... nihil *P* || **122** lotos *K[1]* laetos *Z* | 123 ebur] ebenum *Jahn* || **126** natabaeo *Sang.* || **128** vires *P[1] G* bilis *Φ* virus *Eremita* | illis] illi est *G* illis est *U* || **130** comparat *Φ* comparet *Plem.*

est eboris, nec tessellae nec calculus ex hac
materia: quin ipsa manubria cultellorum
ossea. non tamen his ulla unquam obsonia fiunt
135 rancidula, aut ideo peior gallina secatur.
sed nec structor erit cui cedere debeat omnis
pergula, discipulus Trypheri doctoris, apud quem
sumine cum magno lepus atque aper et pygargus
et Scythicae volucres et phoenicopterus ingens
140 et Gaetulus oryx hebeti lautissima ferro
caeditur et tota sonat ulmea cena Subura.
nec frustum capreae subducere nec latus Afrae
novit avis noster, tirunculus ac rudis omni
tempore et exiguae furtis imbutus ofellae.
145 plebeios calices et paucis assibus emptos
porriget incultus puer atque a frigore tutus,
non Phryx aut Lycius *non a mangone petitus*
quisquam erit et magno : cum posces, posce Latine.

P AFGHKLOTUZ

132 cauculus P^1A^1 || **133** materiam P^1 | manubrea P^1 | curtellorum *GU* || **135** aut] haud *A* | secatur si nec *Weidner* || **137** discipulos P^1 || **138** *versum om. F* | sumite P^1 *Sang.* | et] aut GL^2U | pygracus *GU* || **139** phenicopterus *G* ponicopterus P^1 *Sang.* phenix opterus *Φ* (*'avis quae habet pennas colore foenicio' schol.*) || **141** et ... sonat] ut ... sonet *Cramer non male* | tota *om.* P^1 | sybura *P* || **142** caprae P^1A *Prisc. gramm. II 108,5* || **144** tempore] crimine *Nisbet* | frustis P^2 fartis *Manso* || **146** porriget *Φ* porrigit P^1KT *lem.* | a *om.* P^1A || **147–148** non ... magno *damnavere Guietus, Peyraredus, Hermann* || **148** quisquam erit et *Φ* quisquam erit in P^1 *lem. FGU* quis erit et *Mus. Brit. Burn. 192, unde* qui steterit *coni. Housman* | et magno] id magnum *Leo* Inachio *Giangrande* in medio *Martyn,* | posces P^1 poscis *Φ* | pasce P^1 *lem.*

idem habitus cunctis, tonsi rectique capilli
150 atque hodie tantum propter convivia pexi:
pastoris duri hic filius, ille bubulci.
suspirat longo non visam tempore matrem
et casulam et notos tristis desiderat haedos
ingenui vultus puer ingenuique pudoris,
155 quales esse decet quos ardens purpura vestit,
nec pupillares defert in balnea raucus
testiculos, nec vellendas iam praebuit alas,
crassa nec opposito pavidus tegit inguina gutto.
hic tibi vina dabit diffusum in montibus illis
160 a quibus ipse venit, quorum sub vertice lusit.
namque una atque eadem est vini patria atque ministri.
forsitan exspectes ut Gaditana canoro
incipiant prurire choro plausuque probatae
ad terram tremulo descendant clune puellae.
165 *spectant hoc nuptae recubante marito*

P AFGHKLOTUZ

149 idem habitus, cinctus *Scholte* | erectique *GU* || **151** pastori *P*[1] | hic *PAGU* hic est *Φ* est hic *recc. nonnulli* || **156** nec] ne *P*[1] *lem.* | pupillares *P*[1] *lem. schol. AGU* pugillares *Φ* | draucus *recc. nonnulli* || **157** iam] hic *GU* | 158 apposito *recc. nonnulli et coni. Heinsius* || **159** hinc *P*[1] *lem.* | defusa *GU* || **161** *del. Heinrich, Marklandus* || **163** incipiant *P*[1] *lem.* incipiat *Φ* || **163** plurire *P*[1] praeire *Marklandus ex Arnobio 2,42, sed fortasse Arn. contra emendandus* || **164** descendunt *F*[1] *H Serv. Prisc.* || **165–170** *damnavit Ribbeck* || **165–166** *hic ponunt PA U*[2]*, post 160 FLZ, post 161 inverso ordine HO, om. GK*[1] *TU*[1]*, diversis locis recc., post 175 ponebat Bahrdt, commenticios esse viderunt Pinzger, Heinrich, Marklandus, duplicis recensionis vestigia dispexisse sibi visus est Leo* || **165** spectant *PA* | hoc *om. A*

quod pudeat narrare aliquem praesentibus ipsis:
irritamentum veneris languentis et acres
divitis urticae. maior tamen ista voluptas
alterius sexus: magis ille extenditur, et mox
170 *auribus atque oculis concepta urina movetur.*
non capit has nugas humilis domus. audiat ille
testarum crepitus cum verbis, nudum olido stans
fornice mancipium quibus abstinet, ille fruatur
vocibus obscenis omnique libidinis arte
175 qui Lacedaemonium pytismate lubricat orbem.
namque ibi fortunae veniam damus. alea turpis,
turpe et adulterium mediocribus: haec eadem illi
omnia cum faciant, hilares nitidique vocantur.
nostra dabunt alios hodie convivia ludos:
180 conditor Iliados cantabitur atque Maronis
altisoni dubiam facientia carmina palmam.
quid refert, tales versus qua voce legantur?
Sed nunc dilatis averte negotia curis
et gratam requiem dona tibi, quando licebit
185 per totum cessare diem. non fenoris ulla

P AFGHKLOTUZ

166 narrare *PAK²* narras *cett.* narrasse *recc. nonnulli* | aliquid *P¹A¹* | illis *K* || **167** Veneris *in ras. in P* nervi *Housman* | acres] artes *Marklandus* || **168** divitis] ramitis *Housman* | orticae *P¹A¹* | maior ... sexus *damnavit Jachmann; pro* sexus *volebat* sensus *Marklandus* || **169** ostenditur *F* incenditur *codd. aliquot Pratei, ut ante coniecerat Guietus* || **171** audeat *P¹ lem.* || **175** pytismate *a multis frustra temptatum: v. Jahn ed. 1* || **176–178** *damnavit Ribbeck* || **178** faciunt *K et coni. C. Valesius* || **180** conditor] conducitur *P¹ lem.* || **182** *damnavit Sebastiani* || **184** licebat *P¹*

mentio nec, prima si luce egressa reverti
nocte solet, tacito bilem tibi contrahat uxor
umida suspectis referens multicia rugis
vexatasque comas et vultum auremque calentem.
190 protinus ante meum quicquid dolet exue limen,
pone domum et servos et quicquid frangitur illis
aut perit; ingratos ante omnia pone sodales.
interea Megalesiacae spectacula mappae
Idaeum sollenne colunt, similisque triumpho
195 *praeda caballorum praetor sedet ac, mihi pace*
immensae nimiaeque licet si dicere plebis,
totam hodie Romam circus capit, et fragor aurem
percutit, eventum viridis quo colligo panni.
nam si deficeret, maestam attonitamque videres
200 hanc urbem veluti Cannarum in pulvere victis
consulibus. spectent iuvenes, quos clamor et audax
sponsio, quos cultae decet assedisse puellae.
nostra bibat vernum contracta cuticula solem
effugiatque togam. iam nunc in balnea salva
205 fronte licet vadas, quanquam solida hora supersit
ad sextam. facere hoc non possis quinque diebus
continuis, quia sunt talis quoque taedia vitae
magna: voluptates commendat parcior usus.

P AFGHKLOTUZ

187 vilem *P¹ et lem. Sang.* || **188** rugis] guttis *Marklandus* || **191** illis] illic *GU et coni. Marklandus* || **195–196** *versus damnavit Ribbeck* | praeda *P¹ lem. schol. FKUZ* praedia *G* praedo *cett.* | *post* **196** *versum excidisse putavit Weidner* || **199** defecerit *P¹ lem.* | videret *P¹* || **200** victi *P¹* || **201** expectent *F* || **202** nostra bibat vernum] combibet aestivum *Prisc. gramm. II 106,4 satis mire* || **208** parcior *Ribbeck* parior *P¹ lem.* rarior *F* (*'quicquid fit rariter ...' schol.*)

SATVRA DVODECIMA

Natali, Corvine, die mihi dulcior haec lux,
qua festus promissa deis animalia caespes
exspectat. niveam reginae ducimus agnam;
par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maura.
5 sed procul extensum petulans quatit hostia funem
Tarpeio servata Iovi frontemque coruscat,
quippe ferox vitulus templis maturus et arae
spargendusque mero, quem iam pudet ubera matris
ducere, qui vexat nascenti robora cornu.
10 si res ampla domi similisque affectibus esset,
pinguior Hispulla traheretur taurus et ipsa
mole piger, nec finitima nutritus in herba,
laeta sed ostendens Clitumni pascua sanguis
et grandi cervix iret ferienda ministro

P AFGHKLORTUZ

saturam sane languidam Iuvenali abiudicavit Ribbeck; chirurgia audaciori tractat Helmbold || 1 dulcior *PAGHU Serv. Ecl. 3,76* carior *Φ* || 2 deis] dies *P¹* || 4 pugnanti] putante *P¹* || 8–9 *spurios iudicavit Valla* || 8 ubera matris *om. P¹* || 11 Hispilla *Vossius* Hispella *Cluverius* || 13 sanguis] sacri *coni. Ruperti* grandis *Castiglioni* tergus *Nisbet* || 14 *versum damnavit Ruperti, Helmbold* | et grandi cervix iret *vel* cui foret et grandi cervix *Housman* iret et grandi cervix *PA lem. et Servii codex Floriacensis ad Aen. 9,628* iret et a grandi *Φ et Servii codd. ceteri, nisi quod pro* grandi *habent* magno *libri omnes Serviani* | magistro *Serv.*

15 ob reditum trepidantis adhuc horrendaque passi
nuper et incolumem sese mirantis amici.
nam praeter pelagi casus et fulminis ictus
evasit. densae caelum abscondere tenebrae
nube una, subitusque antemnas impulit ignis.
20 cum se quisque illo percussum crederet et mox
attonitus nullum conferri posse putaret
naufragium velis ardentibus (omnia fiunt
talia, tam graviter, si quando poetica surgit
tempestas), genus ecce aliud discriminis! audi
25 et miserere iterum, quanquam sint cetera sortis
eiusdem pars dira quidem, sed cognita multis
et quam votiva testantur fana tabella
plurima: pictores quis nescit ab Iside pasci?
accidit et nostro similis fortuna Catullo.
30 cum plenus fluctu medius foret alveus et iam
alternum puppis latus evertentibus undis
aequoris incerti, nullam prudentia cani

P AFGHKLOTUZ

17 fulminis *P¹ lem.schol.* fluminis *A* fulguris *Φ* | ictus *P¹ lem.* ictum *Φ* || 18 evasit *PA¹FTU* evasum *P²Z* evasi *Φ* || 19–22 *delebat Guietus, si quid Marollio credas* || 23 *versum damnavit Helmbold; parenthesin notavit Doellen, sed et sic omnia misere confusa* | qualia *Weidner* | tam graviter] tamque gravis *P²H OZ* tam gravis *FK¹* | si *om. F¹* quam *coni. Schurzfleisch* || 24 tempestatis *P¹* || 25 sint cetera] sic cedere *F* || 26 pars] fors *Heinrich* || 29 *versum damnavere Guietus et Jahn ed. alt.* | et nos nostro *P¹* | similis] qualis *Courtney* || 30 eluctu *GU* || 31 puppis] saevis *coni. Highet* rapidis *vel* subitis *Marklandus* | emergentibus *Hildebrand* | *post 31 unum versum excidisse putavit Weidner* || 32 aequoris incerti *Jacobs* arboris incertae *P¹O* arboris in-

rectoris cum ferret opem, decidere iactu
coepit cum ventis, imitatus castora, qui se
35 eunuchum ipse facit cupiens evadere damno
testiculi: adeo medicatum intelligit inguen.
'fundite quae mea sunt' dicebat 'cuncta' Catullus,
praecipitare volens etiam pulcherrima – vestem
purpuream teneris quoque Maecenatibus aptam
40 atque alias quarum generosi graminis ipsum
infecit natura pecus, sed et egregius fons
viribus occultis et Baeticus adiuvat aer.
ille nec argentum dubitabat mittere, lances
Parthenio factas, urnae cratera capacem
45 et dignum sitiente Pholo vel coniuge Fusci.
adde et bascaudas et mille escaria, multum
caelati, biberat quo callidus emptor Olynthi.

P AFGHKLOTUZ

certi *A* arboris incerta *F* arboris incerto *Φ* arbori incertae *Lachmann* marmoris incerti *Heinrich* arbitrio incerto *Bezzenberger* arbore in incerto *Hildebrand* arboreque inversa *Kempf* | nullam] nutu *Weidner*

33 cum ferret *Φ,* comferet *P¹* conferret *recc. et coni. Lachmann,* non ferret *Weidner* || **36** *versum damnavit Heinrich* | testiculi *P²O Serv. Geo. 1,58* testicul *P¹* testiculorum *vel* testiculi hic *vel* testiculis *recc.* | adeo] quando *Leo* | inguem *PAFGU* || **37** catullis *P¹A* || **38** volens *om. P¹A* || **40–42** *praeeunte Ribbeck damnavit O'Neil* | ipsum] ipsa *Ruperti, Marklandus* || **41** natura infecit decus (decus *iam Marklandus*) atque etiam egregius fons *Helmbold* || **42** adiuvabit *P¹* || **43** dubitat *P¹A¹* dubitant nec *recc. nonnulli* || **44** parthenios *P¹ lem.* parthenie *G* || **46** bascaudas *LOT et gloss.* vascaudas *FGU* mascaudas *P¹A lem.* | escaria *P¹GU* esclaria *A* escapra *F* escalia *Φ* || **47** quo] quod *P¹FZ* | pallidus *P¹A¹*

sed quis nunc alius, qua mundi parte quis audet
argento praeferre caput rebusque salutem?
50 *non propter vitam faciunt patrimonia quidam,*
sed vitio caeci propter patrimonia vivunt.
iactatur rerum utilium pars maxima, sed nec
damna levant. tunc adversis urgentibus illuc
reccidit ut malum ferro submitteret, ac se
55 explicat angustum: discriminis ultima, quando
praesidia afferimus navem factura minorem.
i nunc et ventis animam committe dolato
confisus ligno, digitis a morte remotus
quattuor aut septem, si sit latissima, taedae;
60 mox cum reticulis et pane et ventre lagonae
accipe sumendas in tempestate secures.
sed postquam iacuit planum mare, tempora postquam
prospera vectoris fatumque valentius Euro
et pelago, postquam Parcae meliora benigna
65 pensa manu ducunt hilares et staminis albi

P AFGHKLOTUZ

48 sed quis nunc *PAG* sed quid nunc *U* sed nunc quis *Φ* ecquis nunc *Jacobs* | quis^2 *obelo notat Helmbold* || **50 s.** *iam Britannico suspectos damnavit Bentleius* || **52–56** *versus Helmboldio suspecti* || **53** levant] iuvant *Ruperti* || **54** reccidit A^1FLUZ recidit P^1A^2GO *lem.* decidit *Φ* | ac] hac GL^1U *et coni. Marklandus* hoc *Marshall* || **55** angusto *Haeberlin* || **57** animum P^2LZ | doloso *Jacobs* || **59** lautissima P^1A^1 | taedae P^1 *lem.* F^1 taeda *Φ* || **60–61** *delebat Guietus* | lagonae P^1FGK^1U lagoenae *vel* lagenae *Φ* || **61** accipe *praeeunte Britannico coni. Housman et habent duo Vaticani,* aspice *PΦ lem.* || **63** vectoris P^1AGTU vectori L^2 *et coni. H. Valesius* vectores *Φ* || **64** benigna *Φ* benignae P^1A H^2L

lanificae, modica nec multum fortior aura
ventus adest, inopi miserabilis arte cucurrit
vestibus extentis et, quod superaverat unum,
velo prora suo. iam deficientibus astris
70 spes vitae cum sole redit. tum gratus Iulo
atque novercali sedes praelata Lavino
conspicitur sublimis apex, cui candida nomen
scrofa dedit, laetis Phrygibus mirabile sumen
et nunquam visis triginta clara mamillis.
75 tandem intrat positas inclusa per aequora moles
Tyrrhenamque pharon porrectaque bracchia rursum
quae pelago occurrunt medio longeque relinquunt
Italiam; non sic veteres mirabere portus
quos natura dedit. sed trunca puppe magister
80 interiora petit Baianae pervia cumbae
tuti stagna sinus, gaudent ubi vertice raso
garrula securi narrare pericula nautae.

P AFGHKLOTUZ

66 *versum om. H* || **67** inopia P^{1} || **68** *et* vestibus *et* restibus *agnoscit schol.* | extentis P^{1} extensis *Φ* || **69** astris *F et coni. Jessen* austris *cett.* || **70** tum *Φ* tunc *PA* || **71** *versum damnavit Helmbold* | novercalis aedes $A^{1}GU$ | prolata *GU* | Lavinio *Santen* || **73** *versum om. Z* | mirabile *Φ* miserabile P^{1} *lem.* A^{1} *ex v. 67, utrumque agnoscit schol.* || **74** nunquam visis *libri, quod pro 'nunquam antea visis' accipiunt edd. quod an latinum sit, valde dubito* (nunquam siccis mamillis *aliquem sensum haberet*)*; spurium esse versum putavit Marklandus* || **76** rursum *P* rursus *Φ* || **77** currunt P^{1} *lem.* $AK^{2}Z$ || **78** non] tum *Helmbold* | veteres *Nisbet* igitur *sine sensu libri,* similes *vel* ullos *Housman* cunctos *Eden;* igitur ... dedit *damnavit Helmbold* || **79** sed] si *Marklandus* || **81** tuti stagna sinus P^{1} tuti stacta sinus *GU* tunci stagna sinus *A* tunc stagnante sinu *Φ* | ubi *Φ* ibi $P^{1}A^{1}FHZ$

Ite igitur, pueri, linguis animisque faventes
sertaque delubris et farra imponite cultris
85 ac mollis ornate focos glebamque virentem.
iam sequar et sacro, quod praestat, rite peracto
inde domum repetam, graciles ubi parva coronas
accipiunt fragili simulacra nitentia cera.
hic nostrum placabo Iovem Laribusque paternis
90 tura dabo atque omnis violae iactabo colores.
cuncta nitent, longos erexit ianua ramos
et matutinis operatur festa lucernis.
neu suspecta tibi sint haec, Corvine: Catullus
pro cuius reditu tot pono altaria, parvos
95 tres habet heredes. libet exspectare quis aegram
et claudentem oculos gallinam impendat amico
tam sterili; verum haec nimia est impensa: coturnix
nulla unquam pro patre cadet. sentire calorem
si coepit locuples Gallitta et Pacius orbi,
100 legitime fixis vestitur tota libellis

P AFGHKLOTUZ

84 farra] tura *dub. Marklandus* | cultris] acerris *Marklandus* || **86** praestat] restat *GU et coni. Guietus et Marklandus* | peractum P^1 *lem.* || **88** accipient *Z et coni. Guietus* | fragili] facili *coni. Guietus, Burmannus* || **89–90** *versus Guieto suspecti* || **91** cuncta nitent] certatim *dub. Nisbet propter 'nitentia simulacra' v. 88* | rexit *lem.* || **92** oneratur *DeJonge* operitur *Lipsius* || **93** neu *FHLOZ et coni. Schrader* nec *cett.* ne *coni. Lachmann et habet Laur. S. Marci 234* || **98** cadat FK^1LZ || **99** gallita *PAGU* | pacius P^1F^1 paccius *vel* pactius *cett.* | orbi] orbus *A et recc. nonnulli* || **100** legitimi P^1G | tabellis *recc. aliquot fort. recte*

porticus, exsistunt qui promittant hecatomben,
quatenus hic non sunt nec venales elephanti,
nec Latio aut usquam sub nostro sidere talis
belua concipitur, sed furva gente petita
105 arboribus Rutulis et Turni pascitur agro,
Caesaris armentum, nulli servire paratum
privato, siquidem Tyrio parere solebant
Hannibali et nostris ducibus regique Molosso
horum maiores et dorso ferre cohortes,
110 partem aliquam belli, et euntem in proelia turrem.
nulla igitur mora per Novium, mora nulla per Histrum
Pacuvium, quin illud ebur ducatur ad aras
et cadat ante Lares Gallittae, victima sola
tantis digna deis et captatoribus horum.
115 alter enim, si concedas, mactare vovebit
de grege servorum magna et pulcherrima quaeque
corpora, vel pueris et frontibus ancillarum
imponet vittas, et si qua est nubilis illi

P AFGHKLORTUZ

101 promittant *P¹ lem. AGU²* promittunt *Φ* | hecatombe *varie corruptum in mss.; pro eo* elephantum *scribebat Helmbold* || **102–110** *delebat Helmbold* | nec] nunc *Guietus* res *Ruperti* || **103** nec Latio. Haud *voluit Ruperti* || **104** conspicitur *GU* | furva] fulva *P² lem. Sang. AFZ* furva ⟨e⟩ *dub. Nisbet* || **105** rutulis *om. GU* rutilis *K* || **107** parere] servire (*ex versu praec.*) *P²GK¹UZ* | solebat *G* || **110** *versus Guieto suspectus* | belli *P¹AGKU* bellique *Φ* bellis *H. Valesius, qui* cohortis *ut genet. accepit* | turrem *P¹GU* turmam *A* turbam *Φ* || **111** nulla per Histrum *om. P¹* || **113** cadet *P¹ et lemma Sangall.* | gallitae *PO* | sola *P¹ lem. FGU* sacra *Φ* || **116** servorum magna et] taurorum magno *dub. Eden* | et *Φ* ut *P¹* aut *Weidner ed. alt.* || **117** et frontibus ancillarum *om. P¹* || **118** imponat *F* | nobilis *usitato errore P²FK¹Z*

Iphigenia domi, dabit hanc altaribus, etsi
120 non sperat tragicae furtiva piacula cervae.
laudo meum civem, nec comparo testamento
mille rates; nam si Libitinam evaserit aeger,
delebit tabulas inclusus carcere nassae
post meritum sane mirandum atque omnia soli
125 forsan Pacuvio breviter dabit, ille superbus
incedet victis rivalibus. ergo vides quam
grande operae pretium faciat iugulata Mycenis.
vivat Pacuvius quaeso vel Nestora totum;
possideat quantum rapuit Nero, montibus aurum
130 exaequet, nec amet quenquam nec ametur ab ullo.

P AFGHKLOTUZ

119 iphigenia *PG* ephigenia *Φ* *primum hoc, deinde illud habet schol.* | etsi] etesi *Sang.* || **126** incedit *F* || **128** totum] tantum *Sang. Mico et recc. aliquot* || **130** nec^{2}] neque *U*

SATVRA TERTIADECIMA

Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi
displicet auctori. prima est haec ultio, quod se
iudice nemo nocens absolvitur, improba quamvis
gratia fallaci praetoris vicerit urna.
5 Quid sentire putas homines, Calvine, recenti
de scelere et fidei violatae crimine? sed nec
tam tenuis census tibi contigit ut mediocris
iacturae te mergat onus, nec rara videmus
quae pateris. casus multis hic cognitus ac iam
10 tritus et e medio fortunae ductus acervo.
ponamus nimios gemitus. flagrantior aequo
non debet dolor esse viri nec vulnere maior.
tu quamvis levium minimam exiguamque malorum
particulam vix ferre potes, spumantibus ardens
15 visceribus, sacrum tibi quod non reddat amicus
depositum? stupet haec qui iam post terga reliquit
sexaginta annos Fonteio consule natus?

P AFGHKLOTUZ

saturam damnavit Ribb. || 1–4 *post 195 ponebat Richards, damnat Reeve* || 4 fallaci *P¹G* fallacis *Φ* (*variant inter se codd. Servii Aen. 6,431*), fallacem ... urnam *Marklandus* | urna *P lem. U Serv.* urnam *Φ Serv.* || 5 homines *U et coni. Ribbeck* omnes *PΦ* || 6 fide *P¹* || 9 cognitu *P¹* || 13 malorum *PAGKTU* laborum *cett.* || 14 potest *P¹* || 16 post] pos *FOU* | relinquit *Z*

an nihil in melius tot rerum proficit usus?
magna quidem, sacris quae dat praecepta libellis,
20 victrix fortunae sapientia; ducimus autem
hos quoque felices, qui ferre incommoda vitae
nec iactare iugum vita didicere magistra.
quae tam fausta dies, ut cesset prodere furtum,
perfidiam, fraudes, atque omni ex crimine lucrum
25 quaesitum et partos gladio vel pyxide nummos?
rari quippe boni: numera, vix sunt totidem quot
Thebarum portae vel divitis ostia Nili.
nona aetas agitur peioraque saecula ferri
temporibus, quorum sceleri non invenit ipsa
30 nomen et a nullo posuit natura metallo.
nos hominum divumque fidem clamore ciemus
quanto Faesidium laudat vocalis agentem
sportula? dic, senior bulla dignissime, nescis
quas habeat veneres aliena pecunia? nescis
35 quem tua simplicitas risum vulgo moveat, cum

P AFGHKLOTUZ

18 an *P[1] lem. AGU* ut *K* at *Φ* | proficit usus *K* (*'tanti temporis usus non tibi proficit?' schol.*) proficis usus *Φ* proficit usu *P[1] lem. schol.* || **19** quidem *PAFGU* equidem *Φ* || **23** fausta *Marklandus* festa *libri* | furtum *Nisbet* furem *libri* || **25** buxide *F* puxide *P[1] lem.* || **26** numera *P[1] U[2]* numerum *FLUZ* innumerum *G* numero *AHKOT*, numeres *coni. Schurzfleisch* | vix sunt *P[2]HKLOZ* sunt vix *A* vix *T* iussunt *F* iussi *GU* || **27** divitiis *P[1]* || **28** nona *Φ* non *GFK[1] et coni. Heineccius* nunc *P[1]*, quinta *Marklandus*, nulla *Scholte*, aere (*abl. comp.*) *dub. Housman* | aetas] alias *F* | agitur] gravior *Weidner* || **29** invenit] indidit *dub. Scholte* || **34** *versum om. GKU, fort. delendum censuit Knoche, sed causa cur exciderit in propatulo est*

exigis a quoquam ne peieret et putet ullis
esse aliquod numen templis araeque rubenti?
quondam hoc indigenae vivebant more, priusquam
sumeret agrestem posito diademate falcem
40 Saturnus fugiens, tunc cum virguncula Iuno
et privatus adhuc Idaeis Iuppiter antris;
nulla super nubes convivia caelicolarum
nec puer Iliacus, formosa nec Herculis uxor
ad cyathos et iam saccato nectare tergens
45 bracchia Vulcanus Liparaea nigra taberna.
prandebat sibi quisque deus, nec turba deorum
talis ut est hodie, contentaque sidera paucis
numinibus miserum urgebant Atlanta minori
pondere; nondum imi sortitus triste profundi
50 imperium Sicula torvus cum coniuge Pluton,
nec rota nec Furiae nec saxum aut vulturis atri
poena, sed infernis hilares sine regibus umbrae.

P AFGHKLOTUZ

36 perieret *F* *unde* peiieret *scripsit Knoche* | ullis] illis *A*[1] ipsi *Sang.* altis *Courtney non male* || **37** aliquid *A* || **40** tunc] tum *dub. Knoche* || **41** primaevus *Britannicus collato Claudiani loco IV cos. Honor. 197* vagiret *Burmannus patruus* nutritus *vel* lactatus *Burmannus iunior* cirratus *Scholte, sed 'privatus' est 'caeli magistratum nondum adeptus'* | Idaeis] Dictaeis *dub. Marklandus* || **44** et iam] sed iam *Guietus* etiam *Buecheler* nec iam *Ruperti* et non *Cramer* | saccato *Schurzfleisch* (*cf. schol. 'exsiccato faeculento aut liquefacto'*) siccato *libri* libato *Ruperti* | porgens *Beierus* tendens *Ruperti* tollens *vel* torquens *Cramer* || **48** urgebat *multi codd. Prisciani gramm. II 346,12* || **49** imi *Housman, om. P*[1] aliquis *Φ* alius *coni. Jahn collatis 1,10 et 10,257* atri *coni. Leo* Erebi *Nisbet* || **50** imperium *FLOZ* imperium aut *P lem. schol. Φ* | pluto *P* || **52** sed *om. P*[1]

improbitas illo fuit admirabilis aevo,
credebant quo grande nefas et morte piandum
55 si iuvenis vetulo non assurrexerat et si
barbato cuicunque puer, licet ipse videret
plura domi fraga et maiores glandis acervos:
tam venerabile erat praecedere quattuor annis,
primaque par adeo sacrae lanugo senectae.
60 nunc, si depositum non infitietur amicus,
si reddat veterem cum tota aerugine follem,
prodigiosa fides et Tuscis digna libellis
quaeque coronata lustrari debeat agna.
egregium sanctumque virum si cerno, bimembri
65 hoc monstrum puero et miranti sub aratro
piscibus inventis et fetae comparo mulae,
sollicitus tanquam lapides effuderit imber
examenve apium longa consederit uva
culmine delubri, tanquam in mare fluxerit amnis
70 gurgitibus miris et lactis vertice torrens.

P AFGHKLOTUZ

54 quo *P* quod *Φ* quom *Knoche, cf. 3,37; 6,153. 369; 7,61; 16,29* || 55 adsurrexerit *FGUO* || 57 fraga *P*[1] *schol.* farra *Φ* | maioris *FLOZ* || 58 et 59 *suspecti Marklando* | tam] tum *P*[2] *et coni. Jahn* || 59 *versum delebat Guietus* | par adeo] cara deo *P*[1] *lem.* cara adeo *G* pars adeo *recc. nonnulli* | sacrae] serae *legendum, si versus genuinus esset, admonuit Marklandus* || 64 egregiumque *GU* || 65 hoc *P*[1] *lem. GL*[2] *U schol. Stat.* ut *Φ* | miranti *Φ* mirantis *G* mirandis *P*[1]*A* liranti *Gataker* rimantis *Scholte parum probabiliter* || 66 mulo *F et fortasse A*[1] || 68 examenve *GU et coni. Marklandus* examenque *cett.* || 69 amnis *om. P*[1] || 70 miris *vix sanum* (*'aut lacteis aut sanguineis' schol.*)*:* diris *Buecheler* miniis *Jortinus aliique* (*sed epitheton* minius *nullum est*) niveis *Guietus* nigris *Schrader* rubris *Jacobs* diris *Buecheler* | et] aut *coni. Pricaeus*

Intercepta decem quereris sestertia fraude
sacrilega? quid si bis centum perdidit alter
hoc arcana modo? maiorem tertius illa
summam, quam patulae vix ceperat angulus arcae?
75 tam facile et pronum est superos contemnere testes,
si mortalis idem nemo sciat. aspice quanta
voce neget, quae sit ficti constantia vultus.
per Solis radios Tarpeiaque fulmina iurat
et Martis frameam et Cirrhaei spicula vatis,
80 per calamos venatricis pharetramque puellae
perque tuum, pater Aegaei Neptune, tridentem;
addit et Herculeos arcus hastamque Minervae,
quicquid habent telorum armamentaria caeli.
si vero et pater est, 'comedam' inquit 'flebile nati
85 sinciput elixi Pharioque madentis aceto'.
Sunt in fortunae qui casibus omnis ponant
et nullo credant mundum rectore moveri,
natura volvente vices et lucis et anni,
atque ideo intrepidi quaecunque altaria tangunt.
90 *est alius metuens ne crimen poena sequatur.*
hic putat esse deos et peierat, atque ita secum:

P AFGHKLOTUZ

71 interversa *Scholte* | decim *P¹ lem.* || **73** illa *PGHU* ille *Φ* || **74** ceperit ambitus *Marklandus* || **78** per radios solis *A* || **80** venatricii *G* || **81** egaee *U* || **82** Minervae ⟨et⟩ *Jortin et sic habet Laur. S. Marci 234* || **83** habet *libri meliores Isidori Orig. 15.5,4* | armentaria *P¹ lem.* || **86** in *GU lem.* *om. P* qui in *Φ* | qui *PAGU lem.* iam *Φ* | casibus] lapsibus *FZ* | ponunt *KL²* || **90** *versum del. Jahn* | est] ast *Weidner* || **91** perierat *F, unde* peiierat *scripsit Knoche* peieret *Mico propter* peieret *in versu 36 praecedenti*

'decernat quodcunque volet de corpore nostro
Isis et irato feriat mea lumina sistro,
dummodo vel caecus teneam quos abnego nummos.
95 et pthisis et vomicae putres et dimidium crus
sunt tanti. pauper locupletem optare podagram
nec dubitet Ladas, si non eget Anticyra nec
Archigene. quid enim velocis gloria plantae
praestat et esuriens Pisaeae ramus olivae?
100 ut sit magna, tamen certe lenta ira deorum est:
si curant igitur cunctos punire nocentes,
quando ad me venient? sed et exorabile numen
fortasse experiar: solet his ignoscere. multi
committunt eadem diverso crimina fato:
105 ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema'.
sic animum dirae trepidum formidine culpae
confirmat, tunc te sacra ad delubra vocantem
praecedit, trahere immo ultro ac vectare paratus.
nam cum magna malae superest audacia causae,
110 creditur a multis fiducia. mimum agit ille,
urbani qualem fugitivus scurra Catulli:
tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis,

P AFGHKLOTUZ

92 decernit *F* decernet *LZ* || **93** irato] aurato *Scholte, sistrum irasci posse negans* || **96** optarem *P¹ lem.* || **97** nec *prius*] ne *FGOU* | ladas *P¹ lem. schol. GZ* laudas *Φ* || **101** *versum damnavit Nisbet* | curent *GL²U* || **102** et *om. GL¹U* || **105** sceleris pretium *P¹ lem. A FGU* pretium sceleris *Φ* || **107** confirmat *FGLUZ et lem. Sangall* confirmant *PAHKOT et lem. Pith.* confirmans *coni. Hermann* | ad] ac *P¹K propter* ac *in versu sequenti* || **108** vectare *Nisbet* vexare *libri* || **109** *damnavit Knoche* || **112** tu] tum *F*

vel potius quantum Gradivus Homericus, 'audis,
Iuppiter, haec, nec labra moves, cum mittere vocem
115 debueris vel marmoreus vel aeneus? aut cur
in carbone tuo charta pia tura soluta
ponimus et sectum vituli iecur albaque porci
omenta? ut video, nullum discrimen habendum est
effigies inter vestras statuamque Vagelli'.
120 Accipe quae contra valeat solacia ferre
et qui nec Cynicos nec Stoica dogmata legit
a Cynicis tunica distantia, non Epicurum
suspicit exigui laetum plantaribus horti.
curentur dubii medicis maioribus aegri:
125 tu venam vel discipulo committe Philippi.
si nullum in terris tam detestabile factum
ostendis, taceo, nec pugnis caedere pectus
te veto nec plana faciem contundere palma,
quandoquidem accepto claudenda est ianua damno,
130 et maiore domus gemitu, maiore tumultu
planguntur nummi quam funera; nemo dolorem
fingit in hoc casu, vestem diducere summam
contentus, vexare oculos umore coacto:
ploratur lacrimis amissa pecunia veris.

P AFGHKLOTUZ

115–116 *versus om. T* || **115** debueras *AK²* || **119** statumque *GU* | vagelli *schol. FGUZ* (*cf. sat. 16,23*) agelli *P¹ lem.* bacilli *vel* bathylli *Φ* || **123** suspicit *PFGU* suscipit *Φ* || **124–125** *uncis inclusit Eremita* | currentur *P¹ Z* || **125** veniam *P¹ U²* || **128** te] tu *GU* || **130** gemitu et *A* || **131** dolorem *P¹AGKU* dolores *Φ* || **132** hoc casu *P¹ GOU lem.* occasu *Φ* | diducere *PHKOT* deducere *cett.* || **134** *versum delebat Heinrich*

135 sed si cuncta vides simili fora plena querela,
si decies lectis diversa parte tabellis
vana supervacui dicunt chirographa ligni,
arguit ipsorum quos littera gemmaque princeps
sardonychum, loculis quae custoditur eburnis,
140 ten, o delicias! extra communia censes
ponendum? quid? tu gallinae filius albae,
nos viles pulli nati infelicibus ovis?
rem pateris modicam et mediocri bile ferendam,
si flectas oculos maiora ad crimina. confer
145 conductum latronem, incendia sulpure coepta
atque dolo, primos cum ianua colligit ignes;
confer et hos, veteris qui tollunt grandia templi
pocula adorandae rubiginis et populorum
dona vel antiquo positas a rege coronas;
150 *haec ibi si non sunt, minor exstat sacrilegus qui*
radat inaurati femur Herculis et faciem ipsam
Neptuni, qui bratteolam de Castore ducat.
an dubitet solitus totum conflare Tonantem?

P AFGHKLOTUZ

135–136 *inverso ordine in FV*[1] *Z* || **136** parte *P*[1] *lem. AFGU* in parte *Φ* || **137** ligni] lini *Salmasius, Heinsius* || **139–140** *inverso ordine P*[1] | sardonychum *P*[1] *GU Sang.* sardonicus *Φ* || **140** ten o *P*[1] *A*[1] te nunc *Φ* ten et *Manso* || **141** quid? *Heinrich* quia *libri qui recc. et Rupertius* | albae] Afrae *Rupertius* || **142** viles pulli *PA* viles populi *GU* viles populus *O* vilis populus *Φ* || **143** ferenda *P*[1] *lem.* || **144** confert *P*[1] *lem.* || **146** dolo] oleo *coni. Marklandus, sed figura zeugma videtur* || **147** veteres *P* | qui tollunt] tollunt qui *HO* || **150–153** *delevi; 153 iam Lewis deleverat* || **150** exstat] est an *H. Valesius* || **151** radit *Sang.* || **153** an] hau *Leo* | dubitat *F* | stolidus *H. Valesius* solus *Leo et recc. pauci* solidum *Bailey* solitumst *Munro, interrogationis signo post* dubitet *posito, alii alia* |cum flare *P*[1] *lem.*

confer et artifices mercatoremque veneni
155 et deducendum corio bovis in mare, cum quo
clauditur adversis innoxia simia fatis.
haec quota pars scelerum, quae custos Gallicus urbis
usque a Lucifero donec lux occidat audit?
humani generis mores tibi nosse volenti
160 sufficit una domus. paucos consume dies et
dicere te miserum, postquam illinc veneris, aude.
Quis tumidum guttur miratur in Alpibus aut quis
in Meroe crasso maiorem infante mamillam?
caerula quis stupuit Germanus lumina, flavam
165 caesariem et madido torquentem cornua cirro?
nempe quod haec illis natura est omnibus una.
ad subitas Thracum volucres nubemque sonoram
Pygmaeus parvis currit bellator in armis;
mox impar hosti raptusque per aera curvis
170 unguibus a saeva fertur grue. si videas hoc
gentibus in nostris, risu quatiare; sed illic,

P *AFGHKLOTUZ*

154 artifices *PAGKU* artificem *Φ* || **158** a] ad *H* hac *Z, om. F* | occidat *PAGKU* occidit *Φ* || **159–161** *fort. delendos censuit Knoche* || **162–173** *nihil ad rem facere notavit Freeman, sed eicere non ausus sum* **163** mero *P¹F¹* || **164** qui *P¹U* | Germanus *scripsi,* germani *libri* (stupet in Germanis *Weidner*) | flavam ⟨et⟩ *Guietus* || **165** madidos ... in cornua cirros *Salmas.* | cornua cirro *om. P¹* || **166** *del. Pinzger, Marklandus* || **167** volucres thracum *U* | sonorem *Sang.* || **170** hoc] haec *U* || **171** quatiere sed *GKU* quatiaris et *FLOZ*

quando eadem assidue spectantur proelia, ridet
nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno.
'Nullane periuri capitis fraudisque nefandae
175 poena erit?' abreptum crede hunc graviore catena
protinus et nostro (quid plus velit ira?) necari
arbitrio: manet illa tamen iactura, nec unquam
depositum tibi sospes erit, sed corpore trunco
invidiosa dabit missus solacia sanguis.
180 'at vindicta bonum vita iucundius ipsa.'
nempe hoc indocti quorum praecordia nullis
interdum aut levibus videas flagrantia causis.
quantulacunque adeo est occasio, sufficit irae.
Chrysippus non dicet idem nec mite Thaletis
185 ingenium dulcique senex vicinus Hymetto,
qui partem acceptae saeva inter vincla cicutae
accusatori nollet dare. *plurima felix*

P *AFGHKLOTUZ*

172 *versum insiticium putavit Rupertius* | quando *Jacobs* quanquam *libri* *de* quippe *olim cogitabam* (*pro* quandam eadem assidue *habent* assidue quanquam *HO*) | spectantur *AFGKU Jacobs* spectentur *cett.* || 174 peiuri P^1 *lem. A* peiiuri *scr. Knoche* | nefandae] malignae *A* || 175 abreptum] affectum P^2H || 176 quid] qui P^1 quod A^1 || 177 nec unquam] nunquam *Prisc. 2.342,22* || 178 sed] si *Weidner et Marklandus non male* (*'etiam si decolletur' schol.*) | corpore trunco] tempore parvo *F* || 179 missus *coni. Wakefield* solum *Housman* socius *Courtney* minimus *libri* nimius *Martyn e cod. Palatino* nimium *Vianello* saliens *dub. Nisbet* calidus *DeJonge* || 180 at] aut U^1 ac *Achaintre* et *Heinrich* || 183 *versum delevit Heinrich* || 184 dicit *FLU* | Cratetis *Jessen, cum de moribus nihil tradiderit Thales* || 185 hymeto *PU* || 187–189 plurima ... sapientia *damnavit Guietus* | *post* exuit *distinxit Buecheler;* omnis (*genet.*) prima (*n. pl.*) recti *Cramer*

paulatim vitia atque errores exuit omnes
prima docens rectum sapientia. quippe minuti
190 semper et infirmi est animi exiguique voluptas
ultio. continuo sic collige, quod vindicta
nemo magis gaudet quam femina. cur tamen hos tu
evasisse putes, quos diri conscia facti
mens habet attonitos et surdo verbere caedit
195 occultum quatiente animo tortore flagellum?
poena autem vehemens ac multo saevior illis
quas et Caedicius gravis invenit et Rhadamanthus,
nocte dieque suum gestare in pectore testem.
Spartano cuidam respondit Pythia vates
200 haud impunitum quondam fore quod dubitaret
depositum retinere et fraudem iure tueri
iurando. quaerebat enim quae numinis esset
mens, et an hoc illi facinus suaderet Apollo.
reddidit ergo metu, non moribus, et tamen omnem
205 vocem adyti dignam Phoebo veramque probavit
exstinctus tota periter cum prole domoque
et quamvis longa deductis gente propinquis.
has patitur poenas peccandi sola voluntas.

P *AFGHKLOTUZ*

188 exuet *U* || **189** docens *Φ* docet *PU* || **190** et *om. P* || **191** ultio] vitio *P* || **193** putas *FHZ* || **195** quatiens *FOZ* | animum ... flagello [Serv.] Aen. 6,274 || **197** cecidius *A et lem. Sang.* || **205** Phoebo *Jacobs* (*nam vocem adyti, i. e. templi, dignam templo esse absurdum est*) templo *libri;* adyto dignam templi *voluerat Marklandus* | probabit *P*[1] || **206** tota pariter] pariter tota *GO* || **208** *versum damnavit Weidner* | sola *GKTU* saeva *PAHO* scaeva *FLZ* | voluntas *AFGU schol.* voluptas *cett.*

nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum
210 facti crimen habet, cedo si conata peregit.
perpetua anxietas nec mensae tempore cessat
faucibus ut morbo siccis interque molares
difficili crescente cibo; Setina misellus
exspuit, Albani veteris pretiosa senectus
215 displicet. ostendas melius, densissima ruga
cogitur in frontem velut acri ducta Falerno.
nocte brevem si forte indulsit cura soporem
et toto versata toro iam membra quiescunt,
continuo templum et violati numinis aras
220 et (quod praecipuis mentem sudoribus urget)
te videt in somnis; tua sacra et maior imago
humana turbat pavidum cogitque fateri.
hi sunt qui trepidant et ad omnia fulgura pallent
cum tonet, exanimes primo quoque murmure caeli,
225 non quasi fortuitus nec ventorum rabie sed
iratus cadat in terras et vindicet ignis.
illa nihil nocuit? cura graviore timetur
proxima tempestas velut hoc dilata sereno.
praeterea lateris vigili cum febre dolorem

P *AFGHKLOTUZ*

209 tacitus *Dresd. 153 et coni. Scholte* || **210** cedo si] quodsi *vel* sed si *Marklandus* || **211** cesset *H* || **212** ut *P[1] A[1] U[1]* et *Φ* || **213** Setina *Herelius et Withof certissima coniectura* sed vina *libri* rediviva *miserrime Froehner* || **215** melius *vix sanum:* mulsum *Scholte* (*ipse quid sit ostendere vinum nunquam satis intellexi*) || **216** fontem *P[1]* | Falisco *Nisbet* || **223** fulgura] fulmina *recc. nonnulli* || **224** exanimis *P[1]* || **225** fortuitu *U* || **226** vindicet *recc. onnulli et libri aliquot Serviani ad 4,209, quam veram esse lectionem probat Courtney* iudicet *libri*

230 si coepere pati, missum ad sua corpora morbum
infesto credunt a numine: saxa deorum
haec et tela putant. pecudem spondere sacello
balantem et Laribus cristam promittere galli
non audent: quid enim sperare nocentibus aegris
235 concessum? vel quae non dignior hostia vita?
mobilis et varia est ferme natura malorum.
cum scelus admittunt, superest constantia; quid fas
atque nefas tandem incipiunt sentire peractis
criminibus. tamen ad mores natura recurrit
240 damnatos fixa et mutari nescia. nam quis
peccandi finem posuit sibi? quando recepit
eiectum semel attrita de fronte ruborem?
quisnam hominum est quem tu contentum videris uno
flagitio? dabit in laqueum vestigia noster
245 perfidus et nigri patietur carceris uncum
aut maris Aegaei rupem scopulosque frequentes
exulibus magnis. poena gaudebis amara
nominis invisi tandemque fatebere laetus
nec Drusum nec Tiresian quenquam esse deorum.

P *AFGHKLOTUZ*

232 et *om. G* || **234** nolentibus *F* || **235** non *om. F* || **236** *versum seclusit Jahn* || **237** quid *U*[1] quod *cett.* cum *Weidner, commate post* criminibus *posito* || **238** incipiant *U* || **239** cucurrit *O* || **242** pudorem *HO* || **243** conventum *U* || **247–248** amara nominis] aperta numinis *Jessen* (numinis *etiam FO et recc. nonnulli*) || **249** Drusum *Courtney collato 3,238* surdum *libri* | Tiresian *edd.* teresian *PFH* tiresiam *UL*[2] teresiam *cett.*

SATVRA QVARTADECIMA

Plurima sunt, Fuscine, et fama digna sinistra
1a *et quod maiorum vitia sequiturque minores*
et nitidis maculam haesuram figentia rebus,
quae monstrant ipsi pueris traduntque parentes.
si damnosa senem iuvat alea, ludit et heres
5 bullatus parvoque eadem movet arma fritillo,
nec melius de se cuiquam sperare propinquo
concedet iuvenis, qui radere tubera terrae,
boletum condire et eodem iure natantis
mergere ficedulas didicit nebulone parente
10 et cana monstrante gula. cum septimus annus
transierit puerum, nondum omni dente renato,
barbatos licet admoveas mille inde magistros,
hinc totidem, cupiet lauto cenare paratu
semper et a magna non degenerare culina.

P AFGHKLOTUZ

totam saturam Iuvenali abiudicavit Ribbeck || **1** plurime *Sang.* || **1a** *om.* *P*[1] *F U*[1] *tituli reliquias agnovit Lipsius* | vitio *A G K*[2] | sequimurque *K* || **2** *versus Marklando suspectus, cui lectio* haesuram *ignota esset* | haesuram *PT* esuram *O* ac rugam *Φ* || **6** cuiquam de se *H* || **7** concedet *F* concedit *Φ* || **9** ficellas *Lachmann* || **11** puerum *P*[1] *A U*[1] puero *Φ* || **13** cupient *P*[1] | paratu] apparatu *A*[2] *G*[2] *U*[2] culina *Z ex versu sequente*

23 Quid suadet iuveni laetus stridore catenae,
24 quem mire afficunt inscripti, ergastula, carcer?
15 mitem animum et mores modicis erroribus aequos
praecipit, utque animas servorum et corpora nostra
materia constare putet paribusque elementis?
an saevire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
plagarum strepitu et nullam Sirena flagellis
20 comparat, Antiphates trepidi laris ac Polyphemus,
tunc felix, quoties aliquis tortore vocato
22 uritur ardenti duo propter lintea ferro?
25 rusticus exspectas ut non sit adultera Largae
filia, quae nunquam maternos dicere moechos
tam cito nec tanto poterit contexere cursu
ut non terdecies respiret? conscia matri
virgo fuit, ceras nunc hac dictante pusillas
30 implet et ad moechum dat eisdem ferre cinaedis.
Sic natura iubet: velocius et citius nos
corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
cum subeant animos auctoribus. unus et alter

P AFGHKLOTUZ

23–24 *ante 15 posuit Housman* || **24** inscripti, ergastula *Richards, Weidner* scripta ergastula *P^1 lem.* inscripta ergastula *cett., primus recte distinxit Doederlein* || **16** utque ... putet *Buecheler* atque ... putat *libri* atque ... pari *Wakefield* | animas *PAFU* animos *Φ* || **18** rutilus *P^2OTU* rutilis *P^1* rutulus *cett.* || **19** et] vel *A* || **19** crepitu *Broukhusius* || **25** expectat *F* (*ex Horat. epp. 1,2,42*) || **29** ceras nunc hac] nunc hac ceras *HO* || **30** moechum *PU* moechos *Φ Prisc. gramm. II 298,15; III 10,18; III 361,6* | easdem *ex codice ficticio Pontanus* | cinaedis] ministris *Marklandus* || **31** signatura *P^1* || **33** subeant *Φ* subuant *F* (*correctura scilicet male intellecta*) subeunt *P* | animos *Φ* animus *F* animis *P^1*

forsitan haec spernant iuvenes, quibus arte benigna
35 et meliore luto finxit praecordia Titan,
sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt
et monstrata diu veteris trahit orbita culpae.
abstineas igitur damnandis. huius enim vel
una potens ratio est, ne crimina nostra sequantur
40 ex nobis geniti, quoniam dociles imitandis
turpibus ac pravis omnes sumus, et Catilinam
quocunque in populo videas, quocunque sub axe,
sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus usquam.
nil dictu foedum visuque haec limina tangat
45 intra quae pater es. procul, a procul inde puellae
lenonum et cantus pernoctantis parasiti!
maxima debetur puero reverentia. si quid
turpe paras, ne tu teneros contempseris annos,
sed peccaturo obstet tibi filius infans.
50 nam si quid dignum censoris fecerit ira
quandoque et similem tibi se non corpore tantum

P AFGHKLOTUZ

34 spernant Φ spernat *T* sperant P^1 *lem.* | iuvenis *Z* || **38** damnandis huius enim P^1OU^1 || damnis huiusce etenim Φ damnandis: haecce etenim *Arndt* || **39** ne] nec $P^1U^1Z^1$ | vestra *O* || **40** genitis P^1H^1 || **43** usquam *F* unquam P^1 *lem.* *U* || **44** nil] nec A^1GK^1Z || **45** pater] puer *A* | es *Cramer collato scholio 'ubi filios habes'* est *libri* | ah *Cramer* ac *PFOTZ* hac *cett.* hinc *Valla* | inde] ite *recc. aliquot, prob. Herel, Wunderlich* *vel* ite *vel* este *coni. Marklandus* || **48** ne *Rupertius ex recc. iubente sententia,* nec *libri* | teneros *Courtney* pueri *libri ex versu praec.* parvi *coni. Marklandus* || **49** obstet P^1U^1 obstat *K* obsistet *T* obsistat Φ || **50** feceris P^2U || **51** quandoque P^1 quandoquidem Φ

nec vultu dederit, morum quoque filius et qui
omnia deterius tua per vestigia peccet,
corripies nimirum et castigabis acerbo
55 clamore ac post haec tabulas mutare parabis.
unde tibi frontem libertatemque parentis,
cum facias peiora senex vacuumque cerebro
iam pridem caput hoc ventosa cucurbita quaerat?
  Hospite venturo cessabit nemo tuorum:
60 'verre pavimentum; nitidas ostende columnas;
arida cum tota descendat aranea tela;
hic leve argentum, vasa aspera tergeat alter,"
vox domini furit instantis virgamque tenentis.
ergo miser trepidas ne stercore foeda canino
65 atria displiceant oculis venientis amici;
ne perfusa luto sit porticus: et tamen uno
semodio scobis haec emendat servulus unus.
illud non agitas, ut sanctam filius omni
aspiciat sine labe domum vitioque carentem?
70 gratum est, quod patriae civem populoque dedisti,

P AFGHKLOTUZ

52 quoque *PFH^1TUZ* *'non solum corpore sed et moribus' schol.* tibi *Φ* | filius] simius *Withof* | qui *P^1TU* cum *Φ* || **54–55** *delebat Guietus* || **55** ac] hac *P^1Z* aut *P^2KV* || **59** cessabit *Φ* cessaret *U* cessarit *an*cessaret *P^1 non liquet* cessarit *dub. Housman* || **61** descendet *L* descendit *OZ* || **62** leve *P^1 lem. AU* *om. G* lavet *Φ* | alter] atque *A^1GK* || **63** furit *P^1 lem. A* fremat *Φ* || **66** ne] nec *OT* neu *Housman ex floril. Paris., quod improbat Knoche* || **67** semodios *P^1U^1* | scobis *P^1 lem. schol. OK^2UZ^2 Eutyches gramm. 5,473,10* scrobis *Φ* | emundat *UL^2 et coni. Scioppius, Wernsdorf* || **68** omnis *GKLZ* || **70** populo civem patriaeque *FZ* | patriae] patria *P^1 lem.* patribus *Bentleius*

si facis ut civis sit idoneus, utilis agris
utilis et bellorum et pacis rebus agendis.
plurimum enim intererit quibus artibus et quibus hunc tu
moribus instituas. serpente ciconia pullos
75 nutrit et inventa per devia rura lacerta:
illa eadem sumptis quaerunt animalia pinnis.
vultur iumento et canibus crucibusque relictis
ad fetus properat partemque cadaveris affert:
hic est ergo cibus magni quoque vulturis et se
80 pascentis, propria cum iam facit arbore nidos.
sed leporem aut capream famulae Iovis et generosae
in saltu venantur aves, hinc praeda cubili
ponitur: inde autem cum se matura levavit
progenies, stimulante fame festinat ad illam
85 quam primum praedam rupto gustaverat ovo.
Aedificator erat Caetronius et modo curvo
litore Caietae, summa nunc Tiburis arce,
nunc Praenestinis in montibus alta parabat
culmina villarum Graecis longeque petitis

P AFGHKLOTUZ

71 civis *Housman* patriae *Φ schol.* patria *P lem.* parti *Marklandus, qui* aut bellorum aut *malebat* paci *Nisbet* | agris] armis *Nisbet, qui v. 72 ficticium putat* || 72 rebus pacis *K^1 O* || 73 et quibus hunc tu] huncque quibusque *FLOZ,* hunc tu quibusque *F* || 74 pullos] nidos *Schrader* || 77 et *delebat Withof* || 78 festus *P^1* || 79 magni *om. O* || 81 aut] et *A* || 82 hinc *P* tum *A^1* tunc *Φ* haec *Lachmann* || 83 se *om. P^1* | levavit *T Prisc. gramm. II 243,16* levaret *P^1* levarit *recc. et coni. H. Valesius et Marklandus* levabit *Φ* || 85 gustaverat *PAKLTZ* gustaverit *cett. Prisc.* || 86 caetronius *Φ* cretonius *P^1* ceronius *A* || 88 pararat *P^1*

90 marmoribus vincens Fortunae atque Herculis aedem,
ut spado vincebat Capitolia nostra Posides.
dum sic ergo habitat Caetronius, imminuit rem,
fregit opes, nec parva tamen mensura relictae
partis erat. totam hanc turbavit filius amens,
95 dum meliore novas attollit marmore villas.
Quidam sortiti metuentem sabbata patrem
nil praeter nubes et caeli numen adorant
nec distare putant humana carne suillam,
qua pater abstinuit; mox et praeputia ponunt.
100 Romanas autem soliti contemnere leges
Iudaicum ediscunt et servant ac metuunt ius,
tradidit arcano quodcunque volumine Moyses:
non monstrare vias eadem nisi sacra colenti,
quaesitum ad fontem solos deducere verpos.
105 sed pater in causa, cui septima quaeque fuit lux
ignava et partem vitae non attigit ullam.
Sponte tamen iuvenes imitantur cetera, solam
inviti quoque avaritiam exercere iubentur.
fallit enim vitium specie virtutis et umbra,
110 cum sit triste habitu vultuque et veste severum,
nec dubie tanquam frugi laudetur avarus

P AFGHKLOTUZ

91 possidens P^1 possides GO^1UZ || **92** ergo habitat] aedificat *Weidner* | caetronius Φ || cetonius P^1 ceronius *A* || **97** caeli] cilli *Lemoyne, Lomeier* | lumen *Scaliger* nomen *schol. Lucani 2,593 et coni. Mead* || **101** iudaeicum P^1A | metuuent *U* || **102** tradit P^1 || **103–104** *post 100 collocabat Scaliger* || **103** colenti ⟨et⟩ *dub. Ruperti* || **106** ullam] illam *Scholte* || **109** enim ⟨hoc⟩ vitium *Williger* || **110** veste] mente *O* || **111** laudetur P^1U laudatur Φ

tanquam parcus homo et rerum tutela suarum
certa magis quam si fortunas servet easdem
Hesperidum serpens aut Ponticus. adde quod hunc de
115 quo loquor egregium populus putat acquirendi
artificem: quippe his crescunt patrimonia fabris
sed crescunt quocunque modo maioraque fiunt
incude assidua semperque ardente camino.
et pater ergo animi felices credit avaros.
120 qui miratur opes, qui nulla exempla beati
pauperis esse putat, iuvenes hortatur ut illa
ire via pergant et eidem incumbere sectae.
sunt quaedam vitiorum elementa: his protinus illos
imbuit et cogit minimas ediscere sordes
125 *mox acquirendi docet insatiabile votum:*
servorum ventres modio castigat iniquo
ipse quoque esuriens, neque enim omnia sustinet unquam

P AFGHKLOTUZ

112 tutela] cautela *HT* || **113** fortunas] fortuna *P^1FGU, unde* ⟨a⟩ fortuna *Leo* importune *Guietus* || **114** de *om.* *P^1* || **115** adquirendi *P^1 U^1* atque verendi *Φ* || **117** *damnavit Jahn* | maioraque] maiora *P* || **119** *damnavit Housman* | et] hic *Guietus,* qui *Courtney* | felices *Φ Prisc. gramm. 3,316,16* felicis *TU et fort.* *P^1* || **120** qui ... qui] cum ... cum *Weidner* | miratur *P^1 schol.* mirantur *cett.* | qui *P^1 U* in *F* hi *Φ* || **121** putat *P^1 U* putant *Φ* | iuvenes⟨que⟩ *Housman* | hortatur] hortantur *LOZ Prisc.* | illa *P^1 FU* illam *Φ Prisc. gramm. II 304,12* || **122** via *P^1 FU Sang. Mico* viam *Φ Prisc.* | pergant *Φ Prisc.* peragant *P. Sang. Mico* || **123** illos] illis *P^1* ille *Weidner* || **124** minimas *P^1 AFGU* nimias *Φ* | educere *Scholte* || **125** *versum damnavit Jahn* || **127** neque] nec *U* *quod recepit Knoche* | omnia] non *Schurzfleisch collato scholiasta de duobus negativis loquente*

mucida caerulei panis consumere frusta,
hesternum solitus medio servare minutal
130 Septembri necnon differre in tempora cenae
alterius conchem aestivam cum parte lacerti
signatam vel dimidio putrique siluro
filaque sectivi numerata includere porri.
invitatus ad haec aliquis de ponte negabit.
135 sed quo divitias haec per tormenta coactas,
cum furor haud dubius, cum sit manifesta phrenesis,
ut locuples moriaris, egentis vivere fato?
interea, pleno cum turget sacculus ore,
crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crevit,
140 et minus hanc optat qui non habet. ergo paratur
altera villa tibi, cum rus non sufficit unum
et proferre libet fines, maiorque videtur
et melior vicina seges; mercaris et hanc et
arbusta et densa montem qui canet oliva.
145 quorum si pretio dominus non vincitur ullo,
nocte boves macri longoque famelica collo
iumenta ad virides huius mittentur aristas

P AFGHKLOTUZ

128 mucida] omnia *Schurzfleisch* | frustra P^1FGU || 131 conchem P^1 *lem. schol. U* concham *Φ* | aestivam $P^1A^1U^1$ aestivi *Φ* || 134 *versus sine damno abesse posset* | negabit *Φ* negavit P^1 *lem.* negabat *O* || 135 quo] quod P^1 *lem. F* | haec per] per haec *G* || 136 haud] aut P^1AFU^1 || 137 moriare *FZ* | egenti P^2AL^2 || 138 plenus *AG* | cum] dum *Heinrich* || 139 crevit P^1FTU crescit *Φ Sang. schol.* || 141 cum ... non ... unum] cui ... nunc ... unum? *Weidner non male* || 144 olivi *G* || 145 pretio dominus *PU* dominus pretio *Φ* || 147 huius *in ras. P., om. O* | mittentur ATU^2 mitentur *P* mittuntur *Φ*

nec prius inde domum quam tota novalia saevos
in ventres abeant, ut credas falcibus actum.
150 *dicere vix possis quam multi talia plorent*
et quot venales iniuria fecerit agros.
sed qui sermones, quam foede bucina famae!
'quid nocet haec?' inquit: tunicam mihi malo lupini
quam si me toto laudet vicinia pago
155 exigui ruris paucissima farra secantem'.
scilicet et morbis et debilitate carebis
et luctum et curam effugies, et tempora vitae
longa tibi posthac fato meliore dabuntur,
si tantum culti solus possederis agri
160 quantum sub Tatio populus Romanus arabat.
mox etiam fractis aetate ac Punica passis
proelia vel Pyrrhum immanem gladiosque Molossos
tandem pro multis vix iugera bina dabantur
vulneribus: merces haec sanguinis atque laboris
165 nulli visa unquam meritis minor aut ingratae
curta fides patriae. saturabat glebula talis
patrem ipsum turbamque casae, qua feta iacebat
uxor et infantes ludebant quattuor, unus
vernula, tres domini; sed magnis fratribus horum

P AFGHKLOTUZ

149 abeant *A* habeant *PΦ* abeunt *florileg. Paris.* || **150–151** *damnavit Heinrich* || **151** quot] quos *F* quod *Z* || **152** quid *P¹* | foede *PGH* foedae *Φ* foeda ea *Doederlein* || **153** haec *P¹FGU¹, om. T¹*, hoc *Φ* | lupini *F* lupina *P¹ lem.* lupinam *A* lupinae *recc.* || **158** posthac *P¹A* post haec *Φ* || **162** gelidosque Molossos *Scaliger* || **163** vina *P¹* || **164** haec *P* ea *Φ* || **165** nulli *FU et coni. Heinrich* nullis *P. lem. schol. Φ* | aut *P¹FOU* haud *Φ* || **168** unus] et unus *P¹F²*

170 a scrobe vel sulco redeuntibus altera cena
amplior et grandes fumabant pultibus ollae.
nunc modus hic agri nostro non sufficit horto.
inde fere scelerum causae, nec plura venena
miscuit aut ferro grassatur saepius ullum
175 humanae mentis vitium quam saeva cupido
immodici census. nam dives qui fieri vult,
et cito vult fieri; sed quae reverentia legum,
quis metus aut pudor est unquam properantis avari?
'vivite contenti casulis et collibus istis,
180 o pueri' Marsus dicebat et Hernicus olim
Vestinusque senex: 'panem quaeramus aratro,
qui satis est mensis: laudant hoc numina ruris,
quorum ope et auxilio gratae post munus aristae
contingunt homini veteris fastidia quercus.
185 nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
per glaciem perone tegi, qui summovet euros
pellibus inversis: peregrina ignotaque nobis
ad scelus atque nefas, quaecumque est, purpura ducit.'
Haec illi veteres praecepta minoribus; at nunc
190 post finem auctumni media de nocte supinum
clamosus iuvenem pater excitat: 'accipe ceras;
scribe, puer; vigila; causas age; perlege rubras
maiorum leges. aut vitem posce libello,

P AFGHKLOTUZ

174 crassatur *AG* || **175** saeva] caeca *Marklandus* || **176** immodici *P*¹*AL*² indomiti *Φ* || **178** quis] qui *H* | metus] modus *voluit Herelius non absurde* || **179** istis] illis *O* || **182** roris *P*¹ raris *O* || **184** homini *P*¹*ATU* homines *Φ* | veteres *G* || **186** sperone *F* || **192** vigila] vigil ac *AGFLZ*

sed caput intactum buxo naresque pilosas
195 annotet et grandes miretur Laelius alas.
dirue Maurorum attegias, castella Brigantum,
ut locupletem aquilam tibi sexagesimus annus
afferat; aut, longos castrorum ferre labores
si piget et trepidum solvunt tibi cornua ventrem
200 cum lituis audita, pares quod vendere possis
pluris dimidio, nec te fastidia mercis
ullius subeant ablegandae Tiberim ultra,
neu credas ponendum aliquid discriminis inter
unguenta et corium: lucri bonus est odor ex re
205 qualibet. illa tuo sententia semper in ore
versetur dis atque ipso Iove digna poeta:
'unde habeas quaerit nemo, sed oportet habere.'
hoc monstrant vetulae pueris repentibus assae;
hoc discunt omnes ante alpha et beta puellae.
210 talibus instantem monitis quemcunque parentem
sic possem affari: 'dic, o vanissime, quis te
festinare iubet? meliorem praesto magistro
discipulum. securus abi; vinceris, ut Aiax
praeteriit Telamonem, ut Pelea vicit Achilles.

P AFGHKLOTUZ

194 sed] nam *Weidner* sit *recc. nonnulli* || **196** diruere *P[1]* | brigantu *P[1] lem.* bricantum *U* || **197** aquila *Sang.* || **198** aut] at *AG HKV[1]* || **199** trepidum *P[1]* trepido *Φ* || **206** poeta *P lem.* poetae *Φ* || **208–209** *versus damnavit Jahn* | vetulae pueris *P. Sang. AU* pueris vetulae *Φ* | repentibus *Sang. et lem. Sang.,* reppentibus *P[1]T et lem. Pith.* petentibus *F* repetentibus *U* poscentibus *Φ* reptantibus *coni. Carrio* | assae] assem *FHKLU* || **210** alpha et beta] A et B *FL[1]OZ* || **211** possem *P[1]* possim *FLOUZ* possum *AGHKT* || **214** vincit *GK[1]LZ[1]*

215 parcendum est teneris; nondum implevere medullas
maturae mala nequitiae. cum ponere barbam
coeperit et longae mucronem admittere cultri,
falsus erit testis, vendet periuria summa
exigua et Cereris tangens aramque pedemque.
220 elatam iam crede nurum, si limina vestra
mortifera cum dote subit. quibus illa premetur
per somnum digitis! nam quae terraque marique
anquirenda putas, brevior via conferet illi.
nullus enim magni sceleris labor. 'haec ego nunquam
225 mandavi,' dices olim, 'nec talia suasi.'
mentis causa malae tamen est et origo penes te.
nam quisquis magni census praecepit amorem
et laevo monitu pueros producit avaros
et qui per fraudes patrimonia conduplicari
230 dat libertatem et totas effundit habenas

P AFGHKLOTUZ

215 est *om. H* (*cf. Verg. G 2,363*) || **216** maturae *recc.* naturae *PΦ* nativae *recc. aliquot callidule emendantes* | male *F* | nequitiae *Φ* nequitia est *P¹F* | ponere *Marklandus* pectere *libri* || **217** long(a)e *P¹AF* longi *Φ* *loco nondum sanato* || **218** falsus testis erit *O* || **219** et *P¹ lem. A om. Φ* | pedemque] facemque *Scholte* || **220** et latam *A¹G* || **223** *versum om. F* | anquirenda *Stewechius* acquirenda *libri* || **224** haec ego nunquam *om. P¹* || **228** avarus *L¹U* || **229** *versum habent P. Sang. AH, post 230 ponit T, om. Φ, damnavit Ruperti ita retinere studuit Housman ut versum spequentem* 'cum videant, cupiant sic et sua conduplicari' *excidisse contenderet, ubi iam Wilh. Schulz lacunam statuerat; pro* et qui *maluerunt* quippe et *Amyx,* quisquis *Martyn* | fraudem *L* | conduplicandi *Weidner* || **230** et *delebat Guietus, Achaintre* | effudit *Z*

curriculo, quem si revoces, subsistere nescit
et te contempto rapitur metisque relictis.
nemo satis credit tantum delinquere quantum
permittas, adeo indulgent sibi latius ipsi.
235 cum dicis iuveni stultum qui donet amico,
qui paupertatem levet attollatque propinqui,
et spoliare doces et circumscribere et omni
crimine divitias acquirere, quarum amor in te
quantus erat patriae Deciorum in pectore, quantum
240 dilexit Thebas, si Graecia vera, Menoeceus,
in quorum sulcis legiones dentibus anguis
cum clipeis nascuntur et horrida bella capessunt
continuo, tanquam et tubicen surrexerit una.
ergo ignem, cuius scintillas ipse dedisti,
245 flagrantem late et rapientem cuncta videbis.
nec tibi parcetur misero, trepidumque magistrum
in cavea magno fremitu leo tollet alumnus.
nota mathematicis genesis tua, sed grave tardas
exspectare colus: morieris stamine nondum
250 absumpto. iam nunc obstas et vota moraris,
iam torquet iuvenem longa et cervina senectus.

P AFGHKLOTUZ

232 et] sed *coni. Plathner* | metisque *Φ* meritisque *P*[1] *lem. A*[1] || **234** indulget ... ipse *U* || **235** dices *A* (*cf. schol. 'si reprendas'*) || **238** anquirere *Ruperti* || **239** quantum] quanto *OU* || **240** vera] veraque *P*[1] | moenoceus *P*[1] || **241–243** *versus 'intempestive eruditos' damnavere Knoche, Marklandus* || **241** legiones] ionis *FOZ* || **243** surrexerat *O* || **245** late et] et late *AHK* || **247** cavea *P*[1] caveam *Φ* || **248** grave] cave *Scholte* || **250–256** *habet Ambr.* || **250** absumpto *Marklandus* abrupto *libri* | voto *P*[1] *lem.*

ocius Archigenen quaere atque eme quod Mithridates
composuit: si vis aliam decerpere ficum
atque alias tractare rosas, medicamen habendum est
255 sorbere ante cibum quod debeat et pater et rex.
monstro voluptatem egregiam, cui nulla theatra,
nulla aequare queas praetoris pulpita lauti,
si spectes quanto capitis discrimine constent
incrementa domus, aerata multus in arca
260 fiscus et ad vigilem ponendi Castora nummi,
ex quo Mars Ultor galeam quoque perdidit et res
non potuit servare suas. ergo omnia Florae
et Cereris licet et Cybeles aulaea relinquas:
tanto maiores humana negotia ludi.
265 an magis oblectant animum iactata petauro
corpora quique solet rectum descendere funem
quam tu, Corycia semper qui puppe moraris
atque habitas, coro semper tollendus et austro,
perditus articulis sacci mercator olentis,

P AFGHKLOTUZ

252 ocius] occius *P^1 lem.* oclus *Ambr.* | archigenem *P^1 lem. A K Ambr.* | metridates *K* || **255** ante] et ante *P^1 Sang.* | debeant *$P^2 A^1$* | et pater et *Ambr. Sang., eadem habet P, sed* et *alterum in rasura,* aut pater ut *U^1* aut pater aut *Φ* et pater ut *Housman* (*'nam pater ... aeque debet timere ... sicut rex' schol.*) || **260** castura *P^1* castoria *Sang.* || **263** et *prius om. G* | ceteris *P^1 Sang.* | et *alterum om. O* || **264** ludis *U* || **265** oblectent *Marklandus* | petauro] peta *P^1* || **267** tu in coricia *G* || **268–291** *habet Ambr.* || **269** *versum delebat Hermann* | articulis *Nisbet collato Pers. 1,23* ac vilis *PU* acullis *Ambr.* a siculis *Φ* ac similis *Housman* axiculis *vel* assiculis *Leo* a Cilici *Car. Schmidt* a Scyllis *dub. Knoche* | succi *Scholte*

270 qui gaudes pingue antiquae de litore Cretae
passum et municipes Iovis advexisse lagonas?
hic tamen ancipiti figens vestigia planta
victum illa mercede parat, brumamque famemque
illa reste cavet: tu propter mille talenta
275 et centum villas temerarius. aspice portus
et plenum magnis trabibus mare: plus hominum est iam
in pelago. veniet classis quocunque vocarit
spes lucri, nec Carpathium Gaetulaque tantum
aequora transiliet, sed longe Calpe relicta
280 audiet Herculeo stridentem gurgite solem.
grande operae pretium est, ut tenso folle reverti
inde domum possis tumidaque superbus aluta,
Oceani monstra et iuvenes vidisse marinos.
non unus mentes agitat furor. ille sororis
285 in manibus vultu Eumenidum terretur et igni,
hic bove percusso mugire Agememnona credit
aut Ithacum. parcat tunicis licet atque lacernis,
curatoris eget qui navem mercibus implet
ad summum latus et tabula distinguitur unda,

P AFGHKLOTUZ

270 pingue *P[1]AFTU Ambr.* pingui *Φ* || **271** adduxisse *Ambr.* | lagonas *P* lagoenas *Φ Prisc. gramm. II 167,18* || **272** fingens *K[1]L[2]* || **273–274** *inverso ordine in FOZ* || **276** est iam *om. G* || **277** vocarit *om. P[1]* || **279** transillet *Ambr.* || **281** est *om. GH* | *ante* **283** *versum excidisse putavit Marklandus, hoc fere sensu, 'ut mirantibus amicis gloriari possis'* || **285** torretur *P[2]L[1]OZ* || **287** licet atque] liceatque *Sang.* | lacernis *P[1] Sang. FLOTU[1] Ambr.* lacertis *Φ* || **289** distinguitur] defenditur *Guietus* | unda *AGKOV[1]* *idem habet P sed* n *in rasura* uda *FLZ Ambr.* una *HT*

290 cum sit causa mali tanti et discriminis huius
concisum argentum in titulos faciesque minutas.
occurrunt nubes et fulgura: 'solvite funem,'
frumenti dominus clamat piperisve coempti;
'nil color hic caeli, nil fascia nigra minatur:
295 aestivum tonat.' infelix hac forsitan ipsa
nocte cadet fractis trabibus fluctuque premetur
obrutus et zonam laeva morsuve tenebit.
sed cuius votis modo non suffecerat aurum
quod Tagus et rutila volvit Pactolus harena,
300 frigida sufficient velantes inguina panni
exiguusque cibus, mersa rate naufragus assem
dum rogat et picta se tempestate tuetur.
Tantis parta malis cura maiore metuque
servantur: misera est magni custodia census.
305 dispositis praedives amis vigilare cohortem
servorum noctu Licinus iubet, attonitus pro
electro signisque suis Phrygiaque columna
atque ebore et lata testudine. dolia nudi
non ardent Cynici: si fregeris, altera fiet
310 cras domus aut eadem plumbo commissa manebit.
sensit Alexander, testa cum vidit in illa

P AFGHKLOTUZ

293 piperisve *PAGTU Prisc.* piperisque *Φ* | coempti] coemptor *AL Prisc. gramm. II 205,13* || **295** hac *U* ac *P* an *FOZ* at *Φ* || **296** cadit *PA* || **297** morsuve *Heinrich* morsuque *libri* || **299** quid *Mico* || **300** velantis *P*[1] || **301** exiguique *O* || **303–319** *habet Ambr.* || **303** partae *Ambr.* || **305** prodives *P*[1] praedisve *A*[2]*G* || **307** electis *ut vid. P*[1] *unde* electris *coni. Buecheler* | phyrgiaque *P*[1] *lem. L* phyrigiaque *A* || **310** aut *A*[1]*GU* ut *Ambr.* atque *cett.*

magnum habitatorem, quanto felicior hic qui
nil cuperet quam qui totum sibi posceret orbem
passurus gestis aequanda pericula rebus.
315 nullum numen habes, si sit prudentia: nos te,
nos facimus, Fortuna, deam. mensura tamen quae
sufficiat census, si quis me consulat, edam:
in quantum sitis atque fames et frigora poscunt,
quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis,
320 quantum Socratici ceperunt ante penates:
nunquam aliud natura, aliud sapientia dicit.
acribus exemplis videor te claudere? misce
ergo aliquid nostris de moribus: effice summam
bis septem ordinibus quam lex dignatur Othonis.
325 haec quoque si rugam trahit extenditque labellum,
sume duos equites, fac tertia quadringenta.
si nondum implevi gremium, si panditur ultra,
nec Croesi fortuna unquam nec Persica regna
sufficient animo nec divitiae Narcissi,
330 indulsit Caesar cui Claudius omnia, cuius
paruit imperiis uxorem occidere iussus.

P AFGHKLOTUZ

315–316 *delebat Guietus et 317 sic legebat:* si quis sufficiat census ut consulis edam *metris gementibus* | habes] abest *recc. nonnulli* | nos te *PU Ambr.* sed nos *AG* sed te *Φ* || **316** nos] te *AG* || **319** sufficit *P[1] AHU Ambr.* | hortis] artis *Sang.* || **320** coeperunt *Sang.* || **321** dicet *FLZ* || **324** *usque ad 15,43 habet Bob.* || **325** trahis extendisque *F* || **326** quadraginta *F* quadrigenta *H* quadringena *schol. Bob.* || **328** crysi *P[1] lem.* || **330–331** *delebat Herwerden*

SATVRA QVINTADECIMA

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Aegyptos portenta colat? crocodilon adorat
pars haec, illa pavet saturam serpentibus ibin.
effigies sacri nitet aurea cercopitheci,
5 dimidio magicae resonant ubi Memnone chordae
atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.
illic aeluros, hic piscem fluminis, illic
oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.
porrum et caepe nefas violare et frangere morsu
10 (o sanctas gentes, quibus haec nascuntur in hortis

P AFGHKLOTUZ

totam saturam Iuvenali abiudicavit Ribbeck; veri simile videtur poetam, quippe decrepitum iam senem, ultimam manum nunquam apposuisse || **1** bolusi *P^1 lem. schol. U^1* | aegyptos *P^1* (a)egyptus *Bob.Φ* || **2** crocodil(l)on *P lem. AFGU* corcodillon *Z Bob.* corcodrillon *etc. Φ* || **4–8** *versus Guieto suspecti* || **4** effigiem *FH* || **5** dimidio] *'quidam* dimidium *legunt ad* Memnona *referentes' schol. Bob.* (*v. Wessnerum p. VII*) | memnone *Φ* memnonie *P* (*unde* Memnoni (*dat.*) *coni. Duff*) memnona *Bob.* || **7** illic aeluros *U^1, sicut praeclare coniecerat Brodaeus et post eum Guietus* illicaeruleos *P* illic caeruleos *Bob. Φ* illic caerulei *(sc. maris) Marklandus sibi impar (doctissime ad h. l. Friedl. qui 'caeruleum' bestiam aquatilem hinc a glossatoribus fabricatum putat: v. ThLL 3,107,47)* || **9** et *prius*] ac K | et *alterum PABob.* ac *Φ* || **10–12** *melius afuturos sensit Housman*

numina!), lanatis animalibus abstinet omnis
mensa, nefas illic fetum iugulare capellae:
carnibus humanis vesci licet. attonito cum
tale super cenam facinus narraret Ulixes
15 Alcinoo, bilem aut risum fortasse quibusdam
moverat ut mendax aretalogus. 'in mare nemo
hunc abicit saeva dignum veraque Charybdi,
fingentem immanis Laestrygonas atque Cyclopas?
nam citius Scyllam vel concurrentia saxa
20 Cyaneis plenos et tempestatibus utres
crediderim aut tenui percussum verbere Circes
et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis.
tam vacui capitis populum Phaeaca putavit?'
sic aliquis merito nondum ebrius et minimum qui
25 de Corcyraea temetum duxerat urna;
solus enim haec Ithacus nullo sub teste canebat.
nos miranda quidem sed nuper consule Iunco
gesta super calidae referemus moenia Copti;
nos vulgi scelus et cunctis graviora coturnis.
30 nam scelus, a Pyrrha quanquam omnia syrmata volvas,

P AFGHKLOTUZ

16 ut] et *Bob* aut *G* | aretolagus *Z* aretologus *Bob* arithologus *schol. Bob.* | in mare] in ma**que P^1 immoque A^1 || **17** saeva] Scylla *coni. Schrader* || **18** atque P^1 *lem. AT* et *Φ Bob.* || **20** cyaneis *PU Bob* cyanes *Φ* cyaneas *codex Rob. Stephani* Cyanea (*n. pl.*) *coni. Dausqueius* Cyanees *vel* Cyaneae (*scil. petrae*) *coni. Marklandus* || **22** et] aut P^2H^2OZ || **23** tam (iam *G*) vacui capitis *libri,* sic vacuum cerebri *Prisc.* || **24** memorito *Bob.* || **25** duxerat *P* produxerat *A Mico.* deduxerat *Φ Bob.* || **26** haec] hic P^1 *Sang.* | testa *Sang.* || **27** iunco P^2 *schol.* AL^2 K^2U^2 *Bob.* iunpo P^1 *ut vid.* uino OU^1 iunio *Φ* || **28** copae *corr.* coptae *Bob.* coeptae *F* || **30** scelus] *fort.* caedem, *ut inepta anaphora vitetur*

nullus apud tragicos populus facit. accipe nostro
dira quod exemplum feritas produxerit aevo.
Inter finitimos vetus atque antiqua simultas,
immortale odium et nunquam sanabile vulnus,
35 ardet adhuc Ombos et Tentura. summus utrimque
inde furor vulgo, quod numina vicinorum
odit uterque locus, cum solos credat habendos
esse deos quos ipse colit. sed tempore festo
alterius populi rapienda occasio cunctis
40 visa inimicorum primoribus ac ducibus, ne
laetum hilaremque diem, ne magnae gaudia cenae
sentirent positis ad templa et compita mensis
pervigilique toro, quem nocte ac luce iacentem
septimus interdum sol invenit. horrida sane
45 Aegyptos, sed luxuria, quantum ipse notavi,
barbara famoso non cedit turba Canopo.
adde quod et facilis victoria de madidis et
blaesis atque mero titubantibus. inde virorum

P AFGHKLOTUZ

31 traicos *A*[1] *G* || **32** produxerat *A K*[1] || **33** finitimas *Salmasius* || **34** *versum quasi acta agentem damnavit Ruperti* | satiabile *K* || **35** ombos *P*[1] *lem. U*[1] *schol.* umbos *corr. in* ambos *Bob.* combos *Φ* Coptos *voluit Pauw* | tenara *G* tent*ra *U* | summus ... || **38** sed *delebat Francke* || **36** vulgo *P*[1] *U*[1] *lem. Bob.* vulgi *Φ* || **40** vis *H* || **43** nocte ac luce *PA U Bob.* luce ac nocte *Φ* | iacente *Bob.* calentem *coni. Plathner;* calentes *et* quo *pro* quem *legebat Ruperti* | *post hunc versum deest Bob.* || **44** interdum *P*[1] *lem. A TO*[1] *U* interea *Φ* || **44–48** horrida ... titubantibus *delebat Francke, sed quis talia additurus erat?* || **45** Aegyptos *P*[1] *U* aegyptus *Φ* est Coptus *coni. Marklandus* || **46** cedet *A* | turba *P*[1] *T* ripa *Φ schol.* || **47** madidis et *om. P*[1] || **48** laesis *Marklandus sine causa*

saltatus nigro tibicine, qualiacunque
50 unguenta et flores multaeque in fronte coronae:
hinc ieiunum odium. sed iurgia prima sonare
incipiunt: animis ardentibus haec tuba rixae.
dein clamore pari concurritur, et vice teli
saevit nuda manus. paucae sine vulnere malae,
55 vix cuiquam aut nulli toto certamine nasus
integer: aspiceres iam cuncta per agmina vultus
dimidios, alias facies, et hiantia ruptis
ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos.
ludere se credunt ipsi tamen et pueriles
60 exercere acies, quod nulla cadavera calcent.
et sane quo tot rixantis milia turbae,
si vivunt omnes? ergo acrior impetus, et iam
saxa inclinatis per humum quaesita lacertis
incipiunt torquere, domestica seditioni
65 tela, nec hunc lapidem, quales et Turnus et Aiax,
vel quo Tydides percussit pondere coxam
Aeneae, sed quem valeant emittere dextrae
illis dissimiles et nostro tempore natae.

P AFGHKLOTUZ

51 ieiunium *UZ* genuinum *A* || **52** *post* incipiunt *dist. Marklandus, vulgo post* ardentibus *distinguebant* || **53** dehinc A^2G || **56** agmine P^1U^1 || **58** ossa] ora *Marklandus* | plenosque *Marklandus* || **60** nulla] nuda *U* || **61** et sane] sanaque iam *A* et sana *G* | quo P^1O quod *Φ* | militat urbe P^1 || **64** seditioni *coni. H. Valesius* (*'domestica rixantibus tela' schol.*) seditionis *Marklandus* seditione *libri* || **65** hos lapides *Guietus* | qualis et *P* quales et O^1 qualis se *F* qualem vel UO^2 quali se *Φ* || **66–67** *inverso ordine exhibent FZL* || **66** tytides *AG* || **67** quem] quos *Guietus*

nam genus hoc vivo iam decrescebat Homero;
70 *terra malos homines nunc educat atque pusillos.*
ergo deus quicunque aspexit ridet et odit.
a deverticulo repetatur fabula. postquam
subsidiis aucti, pars altera promere ferrum
audet et infestis pugnam instaurare sagittis.
75 terga fugae celeri praestant instantibus Ombis
qui vicina colunt umbrosae Tentura palmae.
labitur hic quidam nimia formidine cursum
praecipitans capiturque. ast illum in plurima sectum
frusta et particulas, ut multis mortuus unus
80 sufficeret, totum corrosis ossibus edit
victrix turba, nec ardenti decoxit aeno
aut veribus: longum usque adeo tardumque putavit
exspectare focos, contenta cadavere crudo.
hic gaudere libet quod non violaverit ignem,
85 quem summa caeli raptum de parte, Prometheu,
donasti terris. elemento gratulor et te
exsultare reor. sed qui mordere cadaver
sustinuit, nil unquam hac carne libentius edit;

P AFGHKLOTUZ

69–71 *versus damnavit De Jonge;* || **71** *fortasse delendum censuit Knoche* || **72** a diverticulo] adverticulo *AZ* || **75** fugae *POT* fuga *Φ* | praestant instantibus Ombis *coni. Mercerius et habet O* praestant *dein rasura 16 litt. in quibus ultima* s *adhuc legitur* P^1 praestantibus omnibus instans P^2*FGK* praestantibus omnibus instant *AHT* praestant instantibus orbes *LZ* praestant instantibus omnes *U* || **76** palmae] Pampae *Salm.* || **77** hic *Φ* hinc P^1*O* || **78** in *om.* P^1*A* || **79** frustra *OU* | particula P^2*lem.* || **85** Prometheu *Griffith* promethea P^1 prometheus *cett.* | donasti *Griffith ut* te *habeat quo referatur* donavit *libri* || **86–87** elemento ... reor *del. Orelli, Hermann* || **88** nil *PAFOT* mihi *Z* nihil *Φ*

nam scelere in tanto ne quaeras et dubites an
90 prima voluptatem gula senserit: ultimus ante
qui stetit, absumpto iam toto corpore ductis
per terram digitis aliquid de sanguine gustat.
Vascones, ut fama est, alimentis talibus usi
produxere animas; sed res diversa, sed illic
95 fortunae invidia est bellorumque ultima, casus
extremi, longae dira obsidionis egestas.
huius enim quod nunc agitur miserabile debet
exemplum esse tibi sicut modo dicta mihi gens.
post omnes herbas, post cuncta animalia, quicquid
100 cogebat acui ventris furor, hostibus ipsis
pallorem ac maciem et tenues miserantibus artus,
membra aliena fame lacerabant, esse parati
et sua. quisnam hominum veniam dare quisve deorum
ventribus abnueret dira atque immania passis
105 et quibus illorum poterant ignoscere manes
quorum corporibus vescebantur? melius nos
Zenonis praecepta monent *nec enim omnia quidam*

P AFGHKLOTUZ

90 ante *coni. Housman et habet BM Add. 11997* autem *libri* || **91** stetit] venit *Guietus* || **93** vasconas *dein 94* produxisse *U manifesta coniectura* | ut *Φ* haec *P¹ O U Mico* ut haec *F om. A* | elementis *P¹* | usi *Φ* olim *P¹ FOTU Mico* || **97–98** *damnavere Guietus, Francke* | huius enim] cuivis nam *Weidner* || **98** tibi *G* cibi *PΦ* | tibi, si cui, modo *emendabat Housman* || **100** vacuis *P¹* || **102–133** *deest Z* || **104** ventribus *coni. H. Valesius* urbibus *P¹ U et coni. Guietus* viribus *Φ* fortibus *vel* civibus *dub. Marklandus* | abnueret *POTU* abnuerit *Φ* || **105** illorum] ipsorum *U et coni. Weidner* || **106** vescebantur] vescantur sed *A* vescantur *G* || **107–108** nec enim ... putant *delevit Francke;* cuiquam (*sic Weidner*) *et* putat *legenda putat Griffith* | quidam *P¹ FOU* quaedam *Φ*

pro vita facienda putant, sed Cantaber unde
Stoicus, antiqui praesertim aetate Metelli?
110 nunc totus Graias nostrasque habet orbis Athenas,
Gallia causidicos docuit facunda Britannos,
de conducendo loquitur iam rhetore Thyle.
nobilis ille tamen populus, quem diximus, et par
virtute atque fide, sed maior clade Zacynthos
115 tale quid excusat: Maeotide saevior ara
Aegyptos, quippe illa nefandi Taurica sacri
inventrix homines, ut iam quae carmina tradunt
digna fide credas, tantum immolat; ulterius nil
aut gravius cultro timet hostia. quis modo casus
120 impulit hos? quae tanta fames infestaque vallo
arma coegerunt tam detestabile monstrum
audere? anne aliam terra Memphitide sicca
invidiam facerent nolenti surgere Nilo?
qua nec terribiles Cimbri nec Bistones unquam
125 Sauromataeque truces aut immanes Agathyrsi,
hac saevit rabie imbelle et inutile vulgus,
parvula fictilibus solitum dare vela phaselis
et brevibus pictae remis incumbere testae.

P AFGHKLOTUZ

112 iam *om. P* || **113** dicimus *F* || **114** zacynthos *P* sagyntus *A* zaghuntus *T* sacynthos *U* saguntos vel saguntus *Φ* || **116** aegyptos *P[1]OU* aegyptus *Φ* || **117** carmine *O* || **119** quis *POTU* qui *Φ* || **124** qua] quae *lem.* | cambri *Sang.* | Bistones *O[1]U et coni. Schrader* britones *PGKT* brittones *AHL Mico* brittrones *Sang.* bristones *F* Teutones *coni. Marklandus* || **125** sauromataeque *POTU lem. Sang.* sauromataeve *Φ et coni. Marklandus* || **127** sutilibus *coni. Schrader* || **128** picta ... testa *inutiliter Guietus*

nec poenam sceleri invenies nec digna parabis
130 supplicia his populis, in quorum mente pares sunt
et similes ira atque fames. mollissima corda
humano generi dare se natura fatetur,
quae lacrimas dedit. haec nostri pars optima sensus.
plorare ergo iubet causam dicentis amici
135 squaloremque rei, pupillum ad iura vocantem
circumscriptorem, cuius manantia fletu
ora puellares faciunt incerta capilli.
naturae imperio gemimus, cum funus adultae
virginis occurrit vel terra clauditur infans
140 et minor igne rogi. quis enim bonus et face dignus
arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos,
ulla aliena sibi credit mala? separat hoc nos
a grege mutorum, atque adeo venerabile soli
sortiti ingenium divinorumque capaces
145 atque exercendis pariendisque artibus apti
sensum a caelesti demissum traximus arce,

P AFGHKLOTUZ

129 poenas *O* || **133** optima. sensus (*acc. plur.*) plorare *interp. Housman* || **134–135** causam ... rei *delebat Knoche* | casum lugentis amici *recc. quidam et coni. Wakefield, qui et ordinem sic mutabat:* circumscriptorem pupillum ad iura vocantem, squaloremque rei, cuius *etc.*; *Courtneio pro* amici *videtur legendum* amictus || **135** squalorem atque *coni. Ruperti* || **136** fletus *P*[1] || **137** pupillares *A* || **138** adultae] advitae *P*[1] *lem.* || **139** clauditur] conditur *Guietus* || **140** et] aut *U* || **142** credit *P*[1]*AOU* credat *Φ* || **143** adeo *Nisbet* ideo *libri* || **145** *versum fortasse spurium censuit Nisbet* | pariendisque *OU et coni. Buecheler* (*cf. Claud. raptu Pros. 3,32 'utque artes pariat sollertia'*), *** iendisque *P*[1] capiendisque *Φ schol.* || **146** a *om. TZ*[1] *quod probat Knoche*

cuius egent prona et terram spectantia. mundi
principio indulsit communis conditor illis
tantum animas, nobis animum quoque, mutuus ut nos
150 affectus petere auxilium et praestare iuberet,
dispersos trahere in populum, migrare vetusto
de nemore et proavis habitatas linquere silvas,
aedificare domos, laribus coniungere nostris
tectum aliud, tutos vicino limine somnos
155 ut collata daret fiducia, protegere armis
lapsum aut ingenti nutantem vulnere civem,
communi dare signa tuba, defendier isdem
turribus atque una portarum clave teneri.
sed iam serpentum maior concordia. parcit
160 cognatis maculis similis fera; quando leoni
fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
exspiravit aper maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
perpetuam, saevis inter se convenit ursis.
165 ast homini ferrum letale incude nefanda
produxisse parum est, cum rastra et sarcula tantum
assueti coquere et marris et vomere lassi
nescierint primi gladios extendere fabri.
aspicimus populos quorum non sufficit irae

P AFGHKLOTUZ

153 domus *U* || **154** limine *Φ* limite *PA* || **163** rapida *AGK* || **165** ast] at *A* | hominis *P*[1] *Sang.* homines *A* || **166** et *P*[1]*AOTU* ac *Φ* || **167** *versum damnavit Nisbet* || **168** nescierunt *HK Sang.*[1] *lem.* nescierant *Sang.*[2] nescierent *U* nescirent *Φ Serv. geo. 2,539* | extendere *P*[1]*ATSang.* excudere *L*[1] *O (ex Verg. A. 6,847?)* extundere *Φ Serv.*

170 occidisse aliquem, sed pectora, bracchia, vultum
crediderint genus esse cibi. quid diceret ergo,
vel quo non fugeret, si nunc haec monstra videret
Pythagoras, cunctis animalibus abstinuit qui
tanquam homine et ventri indulsit non omne legumen?

P AFGHKLOTUZ

170 voltu *P*[1] || **171** crediderant *Sang.* crediderunt *K*[1] *recc. non male* | tibi *U* || **172** vel] e *Sang.* | monstra] nostra *Sang.* || **174** homini *P*[1] hominem *G* | omne legumen] omnes *P*[1]

SATVRA SEXTADECIMA

Quis numerare queat felicis praemia, Galli,
militiae? nam si subeuntur prospera castra
2b ⟨nil tibi di possunt donare optatius. ergo⟩
me pavidum excipiat tironem porta secundo
sidere. plus etenim fati valet hora benigni
5 quam si nos Veneris commendet epistula Marti
et Samia genetrix quae delectatur harena.
Commoda tractemus primum communia, quorum
haud minimum illud erit, ne te pulsare togatus
audeat – immo, etsi pulsetur, dissimulet nec
10 audeat excussos praetori ostendere dentes

P AFGHKLOTUZ

totam saturam Iuvenali abiudicavit Ribbeck; tantum inchoatam a poeta necdum ad finem perductam arbitratur Courtney || 1 galli P^1 U^1 galle *Φ* || 2 nam] quod *Prisc. gramm. II 399,1 et II 435,17 unde* quot *coni. Ribbeck* num *Scholte* nova *coni. Leo, interrogationis signo post* castra *posito* | subeuntur P^1 *FZ Prisc.* subeantur *Φ* | *inter 2 et 3 aliqua excidisse animadvertit Jahn; supplevit exempli causa Housman* || 3 me] nec *coni. Heinrich* | excipiet P^2 *O* excipiant *U* | porta] Parca *nescioquem coniecisse ait Marklandus* || **4** plus etenim] pluris enim *KVZ* plus enim *F* || 7 *versum om. Gothanus 53 et damnavit Heinrich* || **8** ne te *PA*$K^2$$L^2$*O* nec *U* si te *Φ* || 9 *versum om.* F^1 *supplet* F^m | etsi … audeat *om. H* || **10** audeat excussos] excussos studeat *dub. Nisbet* gaudeat excussos *Marklandus*

et nigram in facie tumidis livoribus offam
atque oculum medico nil promittente relictum.
Bardaicus iudex datur haec punire volenti
calceus et grandes magna ad subsellia surae
15 legibus antiquis castrorum et more Camilli
servato, miles ne vallum litiget extra
et procul a signis. 'iustissima centurionum
cognitio est' inquis 'de milite, nec mihi derit
ultio, si iustae defertur causa querelae.'
20 tota cohors tamen est inimica, omnesque manipli
consensu magno efficiunt ut cura tibi sit
vindictae gravior quam iniuria. dignum erit ergo
declamatoris mulino corde Vagelli,
cum duo crura habeas, offendere tot caligas, tot
25 milia clavorum. quis tam procul adsit ab urbe

P AFGHKLOTUZ

12 oculum $P^1 U^1$ oculo *F* oculos *Φ* | promittente] promitte P^1 | relictum *FU* *om.* P^1 relictos *Φ* || **13** *versum om. F* | barbaricus *Dresd. 155 et coni. Cramer* || **18** cognitio est, inquis *vel* cognitio sed enim *coni. Housman* cognitio est igitur *libri* cognitio esto igitur *Doederlein* cognitio exigitur *olim voluit Buecheler* cognitio est; agitur *coni. Kilpatrick* cognitio est: igitur de milite nec mihi derit *dist. Weidner* || **20** cohors tamen *Φ* tamen cohors *P* || **21** efficiunt $P^1 F$ officiunt *Φ* | ut cura tibi sit *coni. Housman* curabilis (*sic* P^1*AFU lem.* curabitis *Φ* plorabilis *voluere Guitus, Cramer,* miserabilis *Scholte*) ut sit (ut nec *F*) *libri* || **22** vindictae *Housman* vindicta et *PAFTU* vindicta *Φ* | quam] tum *coni. Leo* || **23** mulino *P lem.* mutinensis *GKT* multinensis *U* mutinensi *Φ* (*et* mulino *et* mutinensi *agnoscit schol.*) || **24** duo] do $P^1 Z$ | caligas tot *recc. et coni. Mercerius, Dempster* caligatos *PΦ* || **25** adsit *Collins* sit *F* absit *ceteri*

praeterea, quis tam Pylades, molem aggeris ultra
ut veniat? lacrimae siccentur protinus, et se
excusaturos non sollicitemus amicos.
'da testem' iudex cum dixerit, audeat ille
30 nescioquis pugnos qui vidit, dicere 'vidi',
et credam dignum barba dignumque capillis
maiorum. citius falsum producere testem
contra paganum possis quam vera loquentem
contra fortunam armati contraque pudorem.
35 Praemia nunc alia atque alia emolumenta notemus
sacramentorum. convallem ruris aviti
improbus aut campum mihi si vicinus ademit
et sacrum effodit medio de limite saxum,
quod mea cum patulo coluit puls annua libo,
40 debitor aut sumptos pergit non reddere nummos,
vana supervacui dicens chirographa ligni,
exspectandus erit qui lites incohet annus
totius populi. sed tum quoque mille ferenda
taedia, mille morae; toties subsellia tantum

P AFGHKLOTUZ

27 et se] ut sic. *F* || **28** excusatores *G* || **29** cum P^1FU^1 quam OZ^1 quem *Φ* *unde* quom *Ribbeck* | duxerit P^1 | illi P^1 || **30** qui vidit *PTU* vidit quis *F* vidit qui *Φ* || **33** loquente *P* || **34** contrave *Marklandus* | pudore P^1 | *post* **34** *nonnulla excidisse putavit Weidner* || **35** alia *alterum om.* P^1A^1GLU | molumenta P^1 || **38** et P^1FGU aut *Φ* | medio *PGTU* iuncto medio *F* sacro L^1OZ || **39** patulo *PFOU* vetulo *Φ* *quod maluit Heinsius* | puls] plus *AFOZ* || **40–41** *damnavit Knoche* (*cf. 13,137*) || **40** pergit *in ras P* pedit *F* || **41** typographa *O* | lini *Heinsius* || **42** inchoat *U et fort.* P^1 || **43** tum *Φ* tunc *PAFG* || **44** toties] quoties *Guietus*

45 sternuntur, iam facundo ponente lacernas
Caedicio et Fusco iam micturiente parati
digredimur lentaque fori pugnamus harena.
ast illis, quos arma tegunt et balteus ambit,
quod placitum est ipsis praestatur tempus agendi,
50 nec res atteritur longo sufflamine litis.
Solis praeterea testandi militibus ius
vivo patre datur. nam quae sunt parta labore
militiae placuit non esse in corpore census,
omne tenet cuius regimen pater. ergo Coranum
55 signorum comitem castrorumque aera merentem
quamvis iam tremulus captat socer; hunc favor aequus
provehit et pulchro reddit sua dona labori.
ipsius certe ducis hoc referre videtur
ut, qui fortis erit, sit felicissimus idem,
60 ut laeti phaleris omnes et torquibus, omnes

P AFGHKLOTUZ

45 sternentur *HT* | ponente] poscente *Barthius* | lacernas *P¹FU* lucernas *Φ* || **46** cecidio *A* (*cf. 13,197*) | Fusco iam] fuscolam *P¹Mico* || **47** -que *om. O* || **48** illis *AHKT* illi *PΦ* || **49** ipsis *P¹FTU* illis *Φ* || **52** sunt *om. G* || **54** cuius omne tenet *H* || **56** socer *coni. Heinrich* pater *libri repetitum ex v. 54* | favor *coni. Ruperti* labor *libri* | aequus *om. H* || **58** hoc] hic *voluit Guietus* || **59** sit] sit et *G*

INDEX NOMINVM PROPRIORVM

(Numeris quos uncis inclusi signantur loci ubi ad personam vel rem alluditur quidem, ipsum vero nomen tacite innuitur.)

Accius *cantor*: v. Hagnus
Acestes 7,235
Achaei 3,61
Achilles *Homericus* 1,163; 7,210; 8,271; 10,256; 11,30; 14,214 *(v. Pelides, Aeacides)*
Acilius *Glabrio* 4,94; *eius filius* 4,95
Actiaca carina 2,109
Actor *persona Vergiliana* 2,100
Aeacides 8,270
Aeacus 1,10
Aegaeum mare 13,246
Aegaeus *Neptuni filius* 13,81
Aegyptius nescioquis 1,130
Aegyptus 6,527; *Graeca pos.* Aegyptos 15,2.45.116
Aelia pauper *ignota* 6,72
Aemiliani 8,3
Aemilius pons 6,32; Aemilius *advocatus nobilis* 7,124
Aeneas 1,162; (5,45); 15,67; A. parvulus 5,139
Aeoliae rupes 1,9; Aeolius ventorum carcer 10,181
Aethiopem deridere 2,23; Aethiopis pater fieri 6,600; Aethiopem Cycnum vocamus 8,33; Aethiopum populi 10,150
Afrae sorores *Hesperides* 5,152; Afra caprea 11,142
Afri tenues 8,120
Africa (1,50); causidicorum nutricula 7,149; non capit Africa Hannibalem 10,148
Agamemnon (8,217); 14,286
Agamemnonides *Orestes* 8,215
Aganippe 7,6
Agathyrsi 15,125
Agave *tragoedia* 7,87
Agrippa barbarus *Iudaeorum rex* 6,158
Agrippinae boletus (5,148); 6,620
Aiax 7,115; 10,84; 14,213.(286); 15,65
Alabanda *urbs* 3,70
Alba 4,61; (12,71)
Albana harena 4,100; Albana arx 4,145; Albani montes 5,33; Albanum *vinum* 6, O15; 13,214

Albina *dives et orba* 3,130
Alcestis 6,653
Alcinous 15,15
Alcithoe *tragoedia* 7,12
Alexander 14,311 *(v. et* Pellaeus*)*
Alexandria *v.* Lagi moenia
Alledius *tuberum amator* 5,118
Allobrogici 8,13
Allobrox Cicero 7,214
Alpes 10,152.166; 13,162
Ambrosius choraules 6,77
Amphion *Niobes maritus* 6,174
Amydon *urbs* 3,69
Anchemoli noverca 7,235
Anchisae nutrix 7,234
Ancon Dorica 4,40
Ancus rex 5,57
Andromache 6,503
Andros *insula* 3,70
Antaeus 3,89
Anticatones Caesaris 6,338
Anticyra 13,97
Antigone *tragica persona* 8,229
Antilochus *Homericus* 10,253
Antiochus *comoedus* 3,98
Antiphates 14,20
Antonius *Hybrida* 8,105
Antonius triumvir (2,28); 10,123
Anubis 6,534
Aonidum fontes 7,59
Apicius *mensae voluptatibus deditus* 4,23; pauper Apicius 11,3
Apollo iuris peritus 1,128; Apollinis aedes 7,37; Apollo *de fraude consultus* 13,203; *v. etiam* Paean, Cirrha
Appium nomen 6,385
Apula *ignota* 6,64
Apulia 4,27
Apula praedia 9,55
Aquinum 3,319
Arabarches 1,130
Arachne 2,56
Arcadicus iuvenis 7,160
Archigenes *medicus* 6,236; 13,98; 14,252
Aricini axes 4,117
Aristoteles 2,6
Armenia 8,169
Armenius Zalaces 2,164; Armenius rex 6,407; Armenius haruspex 6,550
Armillatus *ICtus* 4,53
Arpinas *Cicero* 8,237; Arpinas alius *Marius* 8,245–253
Artorius *sordidus repente dives* 3,29
Artaxata 2,170
Arviragus *rex Britannus* 4,127
Asia 10,266; Asiae flos *puer* 5,56
Asiani dei 3,218; Asiani equites 7,14
Assaracus 3,212 *(ex coniectura)*; 10,259
Assyrius orbis 2,108
Astraea 6,19
Asturicus *ignotus,* v. Assaracus
Asylus *ignotus* 6,267
Atellana *fabula* 6,71
Athenis natus *Daedalus* 3,80;

Athenae 7,205; Curia Martis Athenis 9,101; Demosthenem mirabantur 10,127; Graiae Athenae 15,110
Athos velificatus 10,174
Atlanta nanum vocamus 8,32; Atlas *mons* 11,24; 13,48
Atreus *tragoedia* 7,73
Atrides *(= Domitianus)* 4,65; *(= Agamemnon)* 6,660
Atticus *dives ignotus* 11,1
Aufidius *moechus* 9,25
Augusta meretrix *Messallina* 6,118
Augustus mensis 3,9; Augustum dicere Seianum 10,77
Aurelia *dives et orba* 5,98
Aurora 10,2
Auruncae alumnus 1,20; Auruncus Actor *(ex Vergilio)* 2,100
Auster 5,100
Automedon *auriga* 1,61
Autonoe *persona mythica* 7,72
Aventinum caelum 3,85

(Babylon) a figulis munita urbs 10,171
Bacchanalia vivere 2,3
(Bacchus) Nysae dominus 7,64
Baeticus aer 12,42
Baiarum ianua Cumae 3,4; Baias currere 11,49
Baiana cumba 12,80
Baptae 2,92
Bardaicus iudex 16,13
Barea *Soranus* 3,116; 7,91
Basilus *causidicus ignotus* 7,145 ss.; Basilus *sociorum circumscriptor* 10,223
Batavus domitus 8,51
Bathyllus *pantomimus* 6,63
Bebriaci campi 2,106
Belides 6,655
Bellerophon 10,325
Bellona 4,124; 6,512
Beneventanus sutor 5,46
Beronice 6,156
Bibula *formosa quaedam* 6,142
Bistones 15,124
Bithyni 7,15; Bithynus tyrannus *Prusias* 10,162
Bithynicus Volusius *ignotus* 15,1
Boccar *Maurus sordidus* 5,90
Bona Dea 2,86; 6,314
Bootes 5,24
Brigantum castella 14,196
Britannicus *Claudii filius* 6,124
Britannica ballaena 10,14
Britanni minima nocte contenti 2,161; Britannus temo Arviragi 4,126; causidici Britanni 15,111
Brittones *f.l., v.* Bistones
Bromius *adulescens* 6,378
Bruttia fascia 9,14
Bruttidius ignotus 10,83
Brutus *rei publicae conditor* 4,103; Brutorum natales 5,37; Brutum decebunt quae cerdoni turpia 8,182; Brutus *qui Caesarem interfecit* 14,43

Cacus 5,125
Caedicius *ignotus* 13,197; *alius fortasse* Caedicius 16,46
Caesaris *Domitiani* vivaria 4,51; Caesar *Domitianus* 4,135; Caesar *Hadrianus* 7,1; 8,171; Caesaris *Augusti* mensae 5,4; Caesaris Anticatones 6,338; Caesar *Tiberius* 10,86; (Caesar) qui ad flagra sua deduxit Quirites 10,109; Caesaris uxor *Messalina* 10,330; Caesaris armentum *elephanti* 12,106; Caesar Claudius 14,330
Caesennia *seu* Censennia *ditissima* 6,136
Caesonia *Gaii Caesaris uxor* 6,616
Caetronius aedificator *ignotus* 14,86.92
Caieta 14,87
Calenum *vinum* 1,69
(Caligula) Neronis avunculus 6,615
Calliope 4,34
Calpe 14,279
Calvina *femina impudica* 3,133
Calvinus, *qui in tertiadecima compellatur;* 13,5
Camenae 3,16; 7,2
Camerini 7,90; Camerinus *nobilitatis exemplum* 8,38
Camilli manes 2,154; mos Camilli 16,15
Campania 10,283
Cannis consumpta iuventus 2,155; urbem a Cannis petere 7,163; Cannarum vindex anulus 10,165; Cannarum pulvis 11,200
Canopus 6,84; 15,46; Canopi verna 1,26
Cantaber 15,108
Canusina ovis 6,150
Capena porta 3,11
Capito *Cossutianus repetundarum reus* 8,93
Capitolia 10,65; 14,91
Capitolini 2,145; Capitolina quercus 6,387
Cappadoces 7,15
Capreae *insula* 10,72.93
Carfinia *moecha* 2,69
Carpathium aequor 14,278
Carpophorus *comoedus* 6,199
Carrinas Secundus 7,205
Carthago 6,171; 10,277
Carus *delator* 1,36
Cassandra 10,262
Cassius *Caesaris interfector* 5,37
Castor 13,152; 14,260
Catiena *femina impudica* 3,133
Catilina 2,27; 8,231; 10,288; 11,41
Catinensis pumex 8,16
Cato *Censorius* 11,90; Cato tertius 2,40; (Cato Uticensis) 14,43
Catulla *meretrix* 2,49; 10,322
Catullus *(L. Valerius, delator caecus)* 4,113; *poeta non Veronensis* 8,186; 13,111;

Iuvenalis amicus 12,29.37.93
Catulus, *C. Lutatius, cos. A.C. 242,* 2,146; *(Q. Lutatius Catulus cos. A.C. 102)* 8,253; Catulus *sordidus quidam* 3,30
Cecropia Cotytto 2,92
Cecropides *(= antiquo genere gaudens)* 8,46.53
Cecropis de Sulmonensi *facta* 6,187
Celadus *grammaticus* 7,215
Celaeno *proconsulis uxor* 8,130
Celsus *(A. Cornelius?)* 6,245; 8,194 *(dub.)*; *(ex coniectura)* 10,41.
Censennia *ditissima* 6,136
Ceres Helvina 3,320; Cereris vittae *(v. app.)* 6,50; Cereris templum 9,24; Cereris gener 10,112; Cereris ara 14,219; Cereris aulaea 14,263; Cereris sacerdos 15,141
Cethegus 2,27; 8,231; 10,287
Chaerippus *Cilix ignotus* 8,95
Chaldaei 6,553; Chaldaeus grex 10,94
(Charon) taeter porthmeus 3,265
Charybdis 5,102; 15,17
Chatti 4,147
Chione *meretrix* 3,136
Chiron *marmoreus* 3,205; (Chiron) citharoedus 7,212
Chrysippus *philosophus* 2,5; 13,184
Chrysogonus *cantor* 6,74; 7,176
Cicero 7,139; Cicero Allobrox 7,214; Arpinas *Cicero* 8,237; pater patriae 8,244; eius fama 10,114; eloquio periit 10,118; ridenda poemata *scripsit* 10,122 ss.
Cilix *pugil* 4,121; Cilices 8,94
Cimbri 8,249.251 *(v.app.)*; Cimbri terribiles 15,124
Circe 15,21
Circeii 4,140
Cirrhae dominus *Apollo* 7,64
Cirrhaeus vates *Apollo* 13,79
Claudius *Caesar* 5,147; 6,115.(621); (10,341); 14,330 (*v. etiam* Drusus)
Cleanthes *philosophus* 2,7
Cleopatra 2,109
Clio 7,7
Clitumnus 12,13
Clodius 2,27; 6,345
(Cloelia) quae Tiberinum tranatavit 8,265
Clotho 9,135
Cluvia *meretrix* 2,49
Cluvienus *poeta ineptus* 1,80
Clytaemestra 6,656
Cocles *Horatius* 8,264
Cocytus 2,150
Colchis *Medea* 6,643
Collina turris 6,291
Commagenus haruspex 6,550
Concordia *dea* 1,116
Coptos 15,28
Coranus *miles* 16,54
Corbulo *ignotus* 3,251
Corcyraea urna 15,25

Cordus *poeta* 2,1; *fortasse idem* 3,203.208
Corinthos *urbs* 8,113
Corinthus mimus 8,197
Cornelia Gracchorum mater 6,167
Corsica 5,92
Corus *ventus* 10,180
Corvinus *Romanus nobilis* 1,108; Corvini *statua* 8,5.7 *(v. app.)*; Corvinus *poetae amicus* 12,1.93
Corybas de conviva *factus* 5,25
Corycia puppis 14,267
Corydon *nomen Vergilianum* 9,102
Coryphaeus *equus velocissimus* 8,62
Cosmus *unguentarius* 8,86
Cossus *dives quidam sed ignotus* 3,184; Cossus *nobilitatis exemplum* 8,21; Cossus captator 10,202
Cotta (Maximus, Ovidii amicus?) 5,109; 7,95
Cotytto *dea* 2,92
Cous: Coa conchylia 8,101
Crassus *Dives* 10,108
Cremerae legio 2,155
Crepereius Pollio 9,6; *fortasse idem* 11,43
Cressa *Phaedra* 10,327
Creta 14,270
Creticus multicia sumit 2,66; perlucet 2,78; *Metellus* Creticus? 8,38
Crispinus *repente dives* 1,27; 4,1.14.24.108
Crispus, *Vibius,* 4,81–93
Croesus rex 10,274; 14,328
Cumis sedem figere 3,2; a Cumis convertere 3,321; Cumis suspectum iugum 9,57
Curius *Dentatus* 2,153; 11,78; Curios simulare 2,3; Curii iam dimidii 8,4
Curtius bucca 11,34
Cyane *copa* 8,162
Cyaneae tempestates 15,20
Cybele 2,111; 14,263; (numen Idaeum 3,138; mater deum 6,512; advecta mater 9,23)
Cyclas *insula* 6,563
Cyclopes 15,18
Cycnum vocamus Aethiopem 8,33
Cynici 13,121 s.; Cynicus nudus *Diogenes* 14,309
Cynthia *Catulliana* 6,7

Daci vultures 4,111
'Dacicus' *Domitiani titulus* 6,205
Daedalus 3,25; faber volans 1,54; pinnas sumpsit 3,80
Damasippus 8,185; *f. l. pro nomine* Lateranus 8,147.151.167
December 7,97; 9,68
(Decii ad Cremeram occisi) 2,155; 8,258 *(v. app.)*; Deciorum animae plebeiae 8,254; Deciorum pectus 14,239
Delphi 6,555
Demetrius *comoedus* 3,99

Democritus 10,34.47 ss.
Demosthenes 10,114.126–132; ab incude ad rhetora missus 10,131
Deucalion 1,81
Diana 3,320; 10,292; 15,8; (dea 6,172; venatrix 13,80; infandi sacri inventrix 15,117)
Diomedeae *fabulae* 1,53
Diphilus *Graeculus quidam* 3,120
(Dis) Cereris gener 10,112
Dolabella 8,105
(Domitianus) adulter 2,29–33; 4,28.37.38.46.51. 65.135.145.
Domitius *Neronis pater* 8,228
Dorica Ancon 4,40
Doris *persona mimica* 3,94
Drusus *(= Claudius Caesar)* 3,238; Drusus *nobilitatis exemplum* 8,21; Drusi *item* 8,40; Drusum *fort. legendum* 13,249 *(v. app.)*

Echion citharoedus 6,76
Egeria 3,17
(Egnatius Celer) Stoicus delator 3,116
Electra 8,218; (14,284)
Elissa 6,435
Elpenor 15,22
Endymion *puer pulchellus* 10,318
Ennosigaeus 10,182
Epicurus 13,122; 14,319
Epona dea 8,157
Eppia 6,82–114
Erinys 7,68
Eriphylae multae 6,655
Esquiliae 3,71; Esquiliae gelidae 5,78; Esquilias migrare 11,51
Etruscum aurum *bulla* 5,164
Euganea agna 8,15
Eumenides 14,285
Euphranor *statuarius* 3,217
Euphrates *flumen* 1,104; 8,51
Europen puellam parvam extortamque vocamus 8,34
Eurus *ventus* 10,180
Euryalus murmillo 6,81
Evander 11,61

Fabius, *Q. Maximus, Ovidii aequalis,* 7,95; Fabii 2,146; 8,191; 11,90; Fabius *nobilis quidam* 8,14
Fabrateria *oppidum* 3,224
Fabricius 2,154; 9,142; 11,91 (*v. et* Veiento)
Fabulla moecha 2,68
Faesidius *causidicus ignotus* 13,32
Falernum *vinum* 4,138; 6,430; 13,216 Falernae ulmi 6,150; Falernum merum 6,303; Falernum subreptum 9,116
Faustus *poeta ignotus* 7,12
Fidenae *oppidum* 6,57; 10,100
Fides *dea* 1,115
Flaccus *Horatius* 7,227
Flaminia *via* 1,61.171
Flavius ultimus *Domitianus* 4,37

Flora *meretrix* 2,49; Flora *dea* 14,262
Floralis tuba 6,250
Fonteius consul 13,17
Fortuna *dea* 3,40; 6,605; 7,197; 9,148; 10,73.285.366 *(v. app.)*; 14,316; Fortunae laqueum mandare 10,52; Fortunae aedem 14,90
Frontonis platani 1,12
Frusino *oppidum* 3,224
Furiae 13,51
Fuscinus *ignotus* 14,1
Fuscus (Cornelius) 4,112; Fusci coniux *bibacissima* 12,45; Fuscus *ignotus* 16,46

Gabba *parasitus* 5,4
Gabii simplices 3,192; Gabiis vivere 6,56; balneolum Gabiis conducere 7,4; Gabiorum potestas 10,100
Gades 10,1
Gaditana *n. pl.* 11,162
Gaetulicus *nobilitatis exemplum* 8,26
Gaetulus cursor 5,53; Gaetulus Ganymedes 5,59; Gaetula belua *elephas* 10,158; Gaetulus oryx 11,140; Gaetula aequora 14,278
Galba *princeps* 2,104; 8,222; (6,559 *versu insiticio;*) *cos. a. Ch. 211(?)* 8,5
Galla *divitis uxor* 1,125.126
Gallia 7,148; 15,111
Gallicus axis 8,116; Gallicus *Rutilius* custos urbis 13,157
Gallinaria pinus 3,307
Gallitta locuples et orba 12,99.113
Gallius *ignotus* 16,1
Gallus *causidicus ignotus* 7,144; Gallus textor 9,30; Galli 11,113
Ganges flumen 10,2
Ganymedes Gaetulus 5,59; Ganymedes 9,22; (13,43)
Gaurana ostrea 8,86
Gaurus inanis 9,57
'Germanicus' Domitiani titulus 6,205
Germanus 13,164
Geticae pruinae 5,50
Gillo *heredipeta parum mutoniatus* 1,40
Glaphyrus choraules 6,77
(Glaucus Spartanus 13,199)
Gorgo Maura 12,4
Gorgoneus caballus *Pegasus* 3,118
Gracchi 2,24; Gracchorum mater 6,168; Gracchus *catamitus nobilis* 2,117 ss. et 143 ss.; *idem gladiator* 8,201.210
Gradivus 2,128; 13,113
Graece omnia *dicere* 6,187; Graece concumbere 6,191.193
Graeculus esuriens 3,78; Graecula de Tusca facta 6,186
Graecus: Graeca urbs *Roma* 3,61; Graeci 3,114; Graeci libelli 3,206; Graeca marmora 14,89

Graecia mendax 10,174; si Graecia vera 14,240
Graia corona 8,226; Graius induperator 10,138; Graiae artes 11,100; Graiae Athenae 15,110
Gurges *Fabius* 6,266
Gyara insula 1,73; 10,170

Hadriacus rhombus 4,38
Haemus *comoedus* 3,99; 6,198
Hagnus *cantor* 6,70
Hamillus *ludi magister et puerorum inclinator* 10,224
Hammonis fons 6,555
Hannibal 6,170.291; 7,161; 10,147–167; 12,108
(Hebe) Herculis uxor 13,43
Hector 10,259
(Hecuba) 10,272
Hedymeles cantor 6,383
Heliadum crustae 5,38
Heliodorus *medicus* 6,373
Helvidius 5,36
Helvina Ceres 3,320
(Heraclitus) sapiens 10,30
Hercules 2,20; 3,89; 5,125; 10,361; (11,61); Hercules inauratus 13,151; Herculis uxor 13,43; Herculis aedem 14,90
Herculeus lar 8,14; Herculei arcus 13,82; Herculeus gurges *Oceanus* 14,280
Herma truncus 8,53
Hermarchus *Graeculus quidam* 3,120
Hernicus senex 14,180
(Hesperides nymphae) 5,152; Hesperidum serpens 14,114
Hiberina *multivira* 6,53
Hippolytus 10,325
Hirpinus *equus* 8,63
Hirrus pupillos circumscripsit 10,222
Hispania 8,116; 10,151
Hispo *pathicus* 2,50
Hispulla *ignota* 6,74; 12,11
Hister *flumen* 8,170
Hister *pathicus* 2,58; *videatur etiam* Pacuvius
Homerus 6,437; 7,38; 10,246; (11,180); 15,69
Horatius Flaccus (1,51); 7,62; 7,227
Hyacinthi *adulescentes formosi* 6,110
Hylas *Herculis amasius* 1,164
Hymettus 13,185
Hyperboreus axis 6,470

Ianus 6,386.394
Iarbas zelotypus *Didonis procus* 5,45
Iason mercator 6,153; (furtivam pelliculam devexit 1,10)
(Icarus) 1,54
Idaeum numen *Cybele* 3,138; Idaeum sollenne 11,194; Idaea antra 13,41
Idymaea porta 8,160
Iliacus puer *Ganymedes* 13,43
Iliados conditor 11,180; Iliades 10,261
Illyricum latus 8,117
Indica tigris 15,163

Indi 6,337; Indus conductus 6,585 *(v. app.)*; obscurior Mauro Indus 11,125
Io 6,526
Ionium *mare* 6,93
Iphigenia 12,119
Isaeus *rhetor (non Atticus ille)* 3,74
Isiaca lena 6,489
Isis 6,529; 9,22; 12,28; 13,93
Italia 3,171; 10,154; 12,78
Ithacus 10,257; 14,287; 15,26
Iudaei 3,14; 6,547; Iudaea mulier 6,543
Iudaicum ius 14,101
Iulia *a Domitiano stuprata* 2,32
Iulia lex 2,37; 6,38
Iulius *mensis* 2,70
Iulus 12,70; Iuli sanguine fulgere 8,42
Iuncus consul 15,27
Iuno 2,98; 6,48.619; (12,3); (16,6); virguncula Iuno 13,40; Iunonis avis 7,32
Iuppiter 10,188; 13,114; Iuppiter vernus 5,79; nondum barbatus 6,15; an senuit? 6,59; Iovis altaria 8,156; Iovis tunica 10,38; Iovis ara 10,268; Iuppiter nullo violatus auro 11,116; Iuppiter Tarpeius 12,6; noster Iuppiter 12,89; Iuppiter privatus adhuc 13,41; Tonans 13,153; Iovis famulae *aquilae* 14,81; sententia Iove poeta digna 14,206; Iovis municipes lagonae 14,271; (Martis pater 2,131); (Iunonis maritus 6,619)
Iuvernae litora 2,160

Kalendae femineae 9,53

Lacedaemonius orbis 11,175
Lacerta *auriga* 7,114
Lachesis 3,27; 9,136
Ladas cursor 13,97
Laelius *ignotus* 14,195
Laenas captator 5,98
(Laertes) 10,257
Laestrygones 15,18
Lagi famosa moenia 6,83
Lamiarum caedes 4,154; de numero Lamiarum 8,385
Laomedontius *Priamus* 6,326
Lappa *v.* Rubrenus
Lares 8,110; 9,137; 12,89.113; 13,233
Larga *matrona impudica* 14,25
Laronia *meretrix* 2,36.65
Lateranus mulio consul 8,147.151.167; Lateranorum aedes 10,17
Latina *via* 1,171; *eadem* clivosa 5,55; Latinae *mulieres* 6,287; Latinum caelum 6,637; Latina pubes 8,256
Latine nescire 6,188; Latine poscere 11,148
Latinus *mimus* 1,36; 6,44
Latium 12,103
Latius: Latii pastores 2,127; Latiae res 11,115
Latona 6,176; 10,292
Laurens ager 1,107

Laureolus *fabula* 8,187
Lavinum 12,71
Leda 6,63
Lentulus *nobilissimus quidam* 6,80; 8,187; Lentulus *poetarum patronus* 7,95; Lentulus *Catilinae socius* 10,287
Leo canis scabiosi nomen 8,36
Lepidi neptes 6,265; coram Lepidis male vivitur 8,9; (Lepidus triumvir) 2,28
(Lesbia Catulli amica 6,7)
Leucas 8,241
Libitina 12,122
Liburna *lecticae genus* 3,240
Liburnus *ostiarius* 4,75; 6,478
Libye 5,119; *Latina positione* Libya 11,25
Licinus *Augusti libertus* 1,109; *ditissimus quidam* 14,306
Ligustica saxa 3,257
Liparaea taberna 13,45
Longinus *(C. Cassius)* 10,16
Lucani 8,180
Lucanus *poeta* 7,79
Luciferi ortus 8,12; usque a Lucifero 13,158
Lucilius *saturicus* (1,20); 1,65
Lucretia 10,293
Lucrinum stagnum 4,141
Lucusta *venefica* 1,71
Lugudunensis ara 1,44
Luna 6,311.443; 8,149
Lupercus agilis 2,142
Lycisca *meretrix* 6,123
Lycius puer 11,147
Lyde *abortuum procuratrix* 2,141
Machaera *lanista* 7,9
Maecenas 1,66; 7,94; teneri Maecenates 12,39
Maedi pueri 7,132
Maeotica glacies 4,43
Maeotis ara 15,115
Mamerci 8,192
Manilia *lites movens* 6,243
Marcelli 2,145
Marius *repetundarum reus* 1,49; 8,120; Marius *qui Cimbros superavit* 8,245–253; 10,276–282
Maro 11,180, *v.* Vergilius
Mars 16,5; Martis lucus 1,8; leges Marti timendae 2,31; nondum senuit 6,59; Martis curia 9,101; Martis ara 10,83; Martis astrum 10,314; (clipeo hastaque armati 11,106); Martis framea 13,79; Mars Ultor 14,261; *v. et* Gradivus
Marsi 3,169; Marsus senex 14,180
Marsyas vinctus 9,2
Massa *delator* 1,35
Mater advecta (= Magna) 9,23
Matho causidicus 1,32; 7,129; 11,34
Maura *meretrix* 6,307.308; 10,224
Maurus 3,79; Maurus niger 5,53; Mauri atque Indi 6,337; Maurorum epimenia 7,120; Maurus oceanus 10,148; Mauri celeres 11,125; Mauro obscurior

Indus *ib.*; Maura Gorgo 12,4; Maurorum attegiae 14,196
(Medea) Colchis 6,643
Medullina *ancilla impudica* 6,322
Medus flumina epotavit 10,177
Megalesia 6,69
Megalesiaca mappa 11,193
Melanippe 8,229
Meleager 5,115
Memnon 15,5
Memphitis terra 15,122
Menoeceus 14,240
Mentor *argentarius* 8,104
Meroe 6,528; 13,163
Messallina 10,330–345; (6,116–132); 14,331
(Metellus, L.Caecilius) 3,138; Metelli neptes 6,265; Metellus Numidicus 15,109
Mevia *gladiatrix* 1,22
Micipsae *negotiatores Afri* 5,89
Miletos 6,296
Milo *qui Clodium interfecit* 2,26
(Milo Crotoniates 10,10)
Minerva 3,139.219; uno asse Minervam colere 10,116; (cum Gorgone pugnavit 12,4); Minervae hasta 13,82
Minturnarum paludes 10,276
Mithridates (6,661); (10,273); 14,252
Modia *dives et orba* 3,130
Moesorum grex 9,143
Molossus rex *Pyrrhus* 12,108; Molossi gladii 14,162
Montanus *(Curtius? Iunius?)* 4,107.131
Monychus *centaurus* 1,11
Moyses 14,102
Mucius *nullius notae homo* 1,154; Mucius *Scaevola* 8,264
Musae 7,37 *(v. etiam* Camenae*)*
Mycale 5,141
Mycenis *Iphigenia* 12,127
Myronis signa 8,102

Nabataeus saltus 11,126
Naevolus eques Romanus, bipes asellus, 9.1.91
Narcissus *Claudii libertus* 14,329
Natta *ignotus, provincialium spoliator* 8,96
Neptunus 13,81.152
Nero *Caesar* 4,137; 8,72.170 (v. app.).193.212.223; 10,15.308; 12,129; Neronis avunculus *Caius* 6,615; Nero calvus *Domitianus* 4,38
Nestor 6,326; (10,246–255); 12,128
Niliaca plebs 1,26
Nilus 6,83; 10,149; 13,27; 15,123
Niobe 6,177
Niphates 6,409
Nortia 10,74
Novius *captator* 12,111

Numa *rex* 3,12.138; 6,343; 8,156
Numantini *Scipiones* 8,11
Numidae ursi 4,100; Numidarum columnae 7,182
Numitor *dives quidam* 7,74; *ignotus, repetundarum reus,* 8,94 *(v. l.* Tutor*)*
Nysa 7,64

Oceanus 2,2; 11,94.113; Oceani monstra 14,283
Octavius *Caesar* 8,242
Ogulnia *ignota* 6,352
Olynthi emptor *Philippus* 12,47
Ombi 15,35.75
Oppia *matrona impudica* 10,220.322
Orcades modo captae 2,161
Orestes *epicum carmen, ut videtur,* 1,6; Orestes nunquam cantavit Oresten 8,220; (Orestes) Eumenidum vultu terretur 14,284
Orontes *flumen* 3,62
Osiris 6,541; 8,29
Ostia 8,171
Otho *princeps* 2,99; 6,559 *versu spurio*
Otho, Roscius, 3,159; 14,324

Paccius *poeta ignotus* 7,12
Pacius locuples et orbus 12,99
Pactolus *flumen* 14,299
Pacuvius Hister *captator* 12,112.125.128
Paean *Apollo* 6,172.174
Palaemon *grammaticus* 6,452; 7,215.219
Palatinum cubile 6,117
Palati solium affectare 2,106; Palati scurra *Crispinus* 4,31; secreta Palatia 9,23
Palfurius *ICtus* 4,53
Pallas *libertus* 1,109
Pansa *ignotus, provincialium spoliator* 8,96
Parcae 12,64
Pardus *scabiosi canis nomen* 8,36
Paris *pantomimus* 6,87; *alius qui sub Domitiano floruit* 7,87; *Priami filius* 10,264
Parrhasii tabulae 8,102
Parthenius *argentarius* 12,44
Parthus rex 6,407
Paulus *nobilitatis specimen* 2,146; 8,21
Paulus *causidicus ignotus* 7,143
Pax *dea* 1,115; Pacis fanum 9,23
Pecunia *nondum dea* 1,113
Pedo *causidicus ignotus* 7,129
(Pegasus) caballus Gorgoneus 3,118
Pegasus *ICtus* 4,77
Peleus 10,256; 14,214
Pelides lugens amicum 3,280
Pellaeus iuvenis *Alexander* 10,168
Pelopea *fabula* 7,92
Penelope 2,56
Peribomius *pathicus* 2,16
Persicus orborum ditissimus

3,221; *alius* Persicus *Iuvenalis amicus* 11,57; Persica regna 14,328
Petosiris *astrologus* 6,581
Phaeaces 5,151; Phaeax populus 15,23
(Phaedra) 10,327
Phalaris 6,614c; 8,81
Pharium acetum 13,85
Pharos 6,83; pharos Tyrrhena 12,76
Phasma *fabula* 8,186
Phiale *meretrix* 10,238
Phidiacum ebur 8,103
Philippica *Tullii altera* 10,125
(Philippus Macedo 12,47); Philippus *medicus imperitus* 13,125
Philomela 7,92
Phoebi balnea 7,233
Pholus *centaurus* 12,45
Phrygius mos *genitalia abscidendi* 2,115; Phrygia tiara 6,516; Phrygia columna 14,307
Phryx augur 6,585; Phryges 7,236; 12,73; Phryx puer 11,147
Picens *piscator* 4,65
Picena mala 11,74
Picus 8,131
Pierides puellae 4,36
Pierius: Pieria umbra 7,8; Pierium antrum 7,60
Pisaea oliva 13,99
Piso bonus *(= C. Calpurnius)* 5,109
Pittacus *philosophus* 2,6
Pluton 13,50; (Cereris gener 10,112)
Poenus miles 10,155
Pollio *cantor* 6,387; 7,176; Pollio Crepereius *nobilis heluo* 9,6; 11,43
Pollitta *infamis* 2,68
Polyclitus *statuarius* 3,217; 8,103
Polyphemus 9,64; 14,20
Polyxena 10,262
Pompeius *(Ferox Licinianus?)* 4,110; Pompeius *Magnus* 10,108.283
Pomptina palus 3,307
Pontia *venefica* 6,638
Ponticus *nobilis ignotus in octava compellatur* 1.74.179
Pontica medicamina 6,661; Ponticus serpens 14,114
Pontus torrens 4,43; Ponti rex 10,273
Poppaeana *unguenta* 6,462
Posides spado 14,90
Postumus *ignotus* 6,21.28.377
Praeneste gelida 3,190
Praenestini montes 14,88
Priamus 10,258; *v. et* Laomedontiades
Priapi maenades 6,316; (Priapus custos horti 6,375)
Prochyta *insula* 3,5
Procne 6,644
Procula *infamis* 2,68; *alia* Procula, *Cordi pauperis uxor, ut vid,* 3,203
Proculeius *heredipeta bene mutoniatus* 1,40; *alius* Pro-

culeius *(cf. Horat. carm. 2.2,5)* 7,94
Prometheus *(= ignis)* 4,133; Prometheus *Titan* 8,133; 14,85; Titan *dicitur* 14,35
(Proserpina) 13,50
Protogenes *Graeculus quidam* 3,120
(Prusias) Bithynus tyrannus 10,162
Psecas *ancilla* 6,491.494
Pudicitia 6,1.14.308
Punica proelia 14,161
Pygmaea virgo 6,506; Pygmaeus bellator 13,168
Pylades 16,26
Pylius rex *Nestor* 10,246
Pyrenaeus *mons* 10,151
Pyrrha *Deucalionis uxor* 1,84; 15,30
(Pyrrhus) Molossus rex 12,108; Pyrrhus immanis 14,162
Pythagoras 15,173
Pythagorei 3,229
Pythius vates 13,199

Quintilianus 6,75.280; 7,186.189
Quintilla *ignota* 7,75
Quirini vallis 2,133; Quirinus 3,67; trabea Quirini 8,259; gemini Quirini 11,105
Quirites 3,60.163; 10,45.109; Quiritem facundum 8,47

Ravola *cunnilingus* 9,4
Remi turba 10,73; (Romulus Remusque 11,105)
Rhadamanthus 13,197
Rhenus flumen 8,170
Rhodii imbelles 8,113
Rhodope *impudica* 9,4
Rhodos 6,296
Roma 2,39; 3,41.83.137.165. 183.314.319; 4,38; 5,90; 7,4.138; 8,237.243 s.; 10,122.279; 11,46.197; (Roma) urbs victoris populi 2,162; urbs 2,167.235; 7,162; urbs Graeca 3,61
Romanus 3,119; Romani reges 5,58; Romana paupertas 6,295; Romanus induperator 10,138; Romanas leges contemnere 14,100; populus Romanus 14,160
Romulea fera *lupa* 11,104
(Romulus 2,126; Romulus Remusque 11,105)
Rubellius Blandus 8,39
Rubrenus Lappa *poeta ignotus* 7,72
Rubrius *Gallus* 4,105
Rufus *rhetor ignotus* 7,213 s.
Rutila *gibbosa* 10,294 s.
Rutilus *pauper ignotus* 11,2.5.21; *dominus crudelis* 14,18
Rutulus *Turnus* 1,162; 7,68; Rutuli 6,637; Rutulae arbores 12,105
Rutupinus fundus 4,141

Sabella mensa 3,169
Sabina baca 3,85; Sabina *mulier* bellum dirimens

6,164; veteres Sabini 10,299
Saguntina lagona 5,29
Salamis 10,179
Saleius *Bassus* 7,80
Sameramis *regina* 2,108
Samia genetrix *Iuno* 16,6
Samos *insula* 3,70
Samothracum arae 3,144
Santonicus cucullus 8,145
Sardanapallus 10,362
Sarmata 3,79
Sarmentus *parasitus* 5,3
Sarrana aulaea 10,38
Saturnus rex 6,1; 13,40; Saturni sidus 6,570
Saufeia *femina bibacissima* 6,320; 9,117
Sauromatae 2,1; 15,125
Scantinia lex 2,44
Scauri 2,35; 6,604; 11,91
Scipiadae ambo 2,154
(Scipio) numinis Idaei hospes 3,137
Scylla 15,19
Scythicae volucres 11,139
Secundus Carrinas 7,204
Seianus 10,63.66.(74).89.90.104
Seius *nomen apud ICtos exemplare* 4,13
Seleucus citharoedus 10,211
Seneca *philosophus* 5,109; 8,212; praedives 10,16;
Senones 8,234
Septembris adventus 6,517; medius September 14,130
Seres 6,403
Sergius (Sergiolus) *gladiator* 6,105.112
Seriphos *insula* 6,564; 10,170
Serranus poeta 7,80
Sertorius *ignotus* 6,142
Servilia *matrona impudica* 10,319
Setini montes 5,34; Setinum *vinum* 10,27; 13,213
Sextus *pseudophilosophus* 2,22
Sibylla Cumaea 3,3; Sibyllae folium 8,126
Siculus gurges 5,100; Sicula aula 6,486; Siculi 7,236; Siculi cantus *Sirenum* 9,150; Sicula coniunx Plutonis 13,50
Sicyon *urbs* 3,69
Signinum pirum 11,73
Silanus *nobilitatis exemplum* 8,27; (Silanus cui nupsit Messallina 10,330 ss.)
Silvanus 6,457
Siren 14,19, cf. 9,150
(Socrates) 13,185
Socratici cinaedi 2,10; Socratici penates 14,320
Solis radii 13,78
Solon 10,274
Solymarum legum interpres 6,544
Sora *oppidum* 3,223
Sophocleus hiatus 6,636
Sostratus *poeta ignotus* 10,178
Spartana chlamys 8,101; Spartanum coniugium 8,218; Spartanus *Glaucus* 13,199
Statius *poeta* 7,83

Stentor *Homericus* 13,112
Sthenoboea 10,327
Stoicidae 2,65
Stoicus 15,109; Stoicus delator 3,116; Stoica dogmata 13,121
Stratocles *comoedus* 3,99
Stygius gurges 2,150
Subura 3,5; 5,106; 10,156; 11,51.141
Sullae consilium dare 1,16; Sullae tabula *proscriptoria* 2,28
Sulmonensis *femina* 6,187
Surrentinum *vinum* 6, O15
Sybaris 6,296
Syene 11,124
Sygambri 4,147
Syphax 6,170
Syria 8,169
Syrium pirum 11,73
Syrophoenix 8,159 s.
Syrus Orontes 3,62; Syri *lecticarii* 6,351

Tagus *flumen* 3,55; 14,299
Tanaquil 6,566
Tarentum 6,297
Tarpeium limen 6,47; Tarpeius Iuppiter 12,6; Tarpeia fulmina 13,78
(Tarsus oppidum 3,117)
Tatius *Sabinorum rex* 14,160
Taurica nefandi sacri inventrix 15,116
Tauromenitanae rupes 5,93
Tedia *meretrix* 2,49
Telamon 14,214
Telephus *tragoedia, ut videtur,* 1,5
Telesinus *poeta ignotus* 7,25
Tentura 15,35.76
Tereus *tragoedia* 7,12
Terpsichore 7,35
Teucrorum proles 8,56
Teutonicus currus 10,282
Thabraca 10,194
Thais *persona mimica* 3,93; 6,O26
Thales *sapiens* 13,184
Tharsimachus *rhetor* 7,204
Thebae tragoedia 7,12; Thebarum *Aegyptiarum* portae 13,27; 15,6; Thebas *Boeotas* dilexit Menoeceus 14,240
Thebais *Statii* 7,83
Themison *medicus imperitus* 10,221
Theodorus *Gadarensis* 7,177
Thersites *Homericus* 8,269.271; 11,31
Theseis *poema epicum* 1,2
Thessaliae campi 8,242
Thessalus: Thessala philtra 6,610
Thrasea 5,36
Thrasyllus astrologus 6,576
Thrax 3,79; Thraces 6,403; Thracum volucres *grues* 13,167
Thyestes 8,228
Thyle 15,112
Thymele *mima* 1,36; 6,66; 8,197
